

Glauber, Johann Rudolph. Miraculi mundi continuatio, in qua tota natura denudatur, & toti mundo nudè ob oculos ponitur ; imò dilucidè & apertè demonstratur, fieri posse, ut exsale petræ omnium vegetabilium, animalium & mineralium summa medicina paretur, ac ideò sal petræ jure ac meritò verum subjectum solvens, sive menstruum universale (rumpantur ilia omnibus farnerianis asinis) appellari quest. Miracula divina manifestandi, & hermeticæ medicinæ studiosos docendi gratia conscripta, & in lucem edita studio & opera. Johan Rud. Glauberi.


Amstelodami, Apud Joannem Janssonium. M DC LVIII., 1658.


Cote : BIU Santé Pharmacie RES 11146 (1)











RF Res 11116 11/40
MIRACULI
MUNDI (4)
CONTINUATIO,

IN QUA


Tota natura denudatur, & toti
Mundo nudè ob oculos ponitur; imò
dilucidè & apertè demonstratur, fieri posse, ut ex
Sale petræ omnium Vegetabilium, Animalium
& Mineralium summa Medicina paretur,
ac ideò Sal petræ jure ac meritò verum
Subjectum solvens, sive Menstruum
Universale (rumpantur illa om-
nibus Farnerianis Afinis)
appellari queat.

*Miracula Divina manifestandi, & Herme-
ticae Medicinae studiosos docendi gratia con-
scripta, & in lucem edita Studio
& Opera*

JOHAN. RUD. GLAUBERI.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
c15 15c LVIII.



A D
L E C T O R E M
P R Æ F A T I O.



Quoniam, Benevole Lector, scripta mea, Miraculum Mundi, & Primam Prosperitatis Germaniæ Partem, Libello meo Apologetico, cui titulus, Testimonium Veritatis, satis ac sufficienter contrà schedas Farneri calumniis, & mendaciis scatentes defensa, eorumque utilitatem apertè ac dilucidè demonstratam esse arbitror; Vereor tamen, ne Apologetica illa defensio, licet artis Arcana plurima, & lectu satis digna in apertum producat, Lectoribus prolixiore suo ambitu tedium aliquod paritura sit. Eâ de causâ, ut hoc tedium Lectori ademptum in delectationem & voluptatem commutem, consultum mihi visum fuit,

A D L E C T O R E M

*delectationis & auctarii gratiâ , sub
Continuationis Miraculi Mundi
titulo , succedanea subdere cæteris ex-
cellentia quædam Arcana , & quidem
quatuor numero , quæ quin commo-
dum allatura sint maximum , nullus
dubito.*

*Horum primum offero Rusticis , Vi-
nearum cultoribus , hortulanis , & omni-
bus iis , quos ruris cultura occupatos te-
net , ut sine ovium , vaccarum , aut
equorum fimo & excrementis , ac usi-
tatâ stercoratione agros & rura sua
stercorandi & pinguia reddendi modum
& rationem novam addiscant , & quo-
tannis majus commodum & emolumen-
tum ex iis percipiant.*

*Alterum dono omnibus civibus , Mer-
catoribus , aliisque hominibus otiosis , qui
divitiarum copiâ affluentes nesciunt ,
quonam pacto aurum & argentum suum
augere*

P R Æ F A T I O.

augere queant. His sine fædo fænerationis lucro, & proximi sui incommodo, aurum & argentum suum longè meliori, & honestiori ratione augendi modum & viam monstro.

Tertium largior omnibus Deum amantibus, & conscientiae suae rationem habentibus Medicis, ut paucis impensis, & paucò labore, ac brevi temporis spatio medicamenta admodum salubria, & efficacia parare addiscant, miseris ægrotis, ut Christianos decet, debito auxilio succurrant, ac honestè sibi victum & amictum acquirant.

Quartum, tanquam Universale Medicamentum, omnibus magni nominis, & authoritatis personis exhibeo, ut ejus beneficio valetudinem bonam conservent, aut eam amissam recuperent.

AD LECTOR. PRÆFAT.

Deus Omnipotens Divinam suam
Gratiam largiatur, ut paterna ejus bona
ad eum usum adhibeamus, quo ipsius laus
& honor, ac proximi nostri amor au-
geatur, & promoveatur. AMEN.



I. ARCA.

I. A R C A N U M

*Agricolis, Vinitoribus, & Hortulanis
dono datum.*



Tſi prælum hoc, quo ingentes ar-
 bores, ſuccum eliciendi gratiâ, uti
 in primâ Proſperitatis Germaniæ
 parte jam indicavi, premantur, &
 quòd hætenus pluribus, qualenam
 ſit, inveſtigando cerebrum frangentibus, mul-
 tum negotii facèſſivit, in tertiam Proſperitatis
 Germaniæ partem reſervare conſtitueram; Con-
 ſultum tamen mihi viſum fuit ejus deſcriptio-
 nem in hunc Tractatum conjicere, illudque de-
 ſcribendo Boni Publici gratiâ in lucem produ-
 cere: Idque potiffimum eâ de cauſâ, quia Deus
 Omnipotens mihi jam alios copioſum ex omni
 ligno ſalem petriæ eliciendi, & quidem ſine hoc
 prælo, modos revelavit; Nec tantum ex ligno
 ipſo, verum etiam, ex omnibus Vegetabilibus,
 Animalibus, ac Mineralibus, ità ut negotio ad-
 modum facili, brevique temporis ſpatio, ſine
 prælo, & putrefactione lignum & Sal in Salem
 petriæ converti queant: Imò ut trium, aut qua-
 tuor horarum intervallo quodvis Vegetabile,
 aut Animale, ut & omnis generis Sales ita trans-
 mutari poſſint, ut in pinguem, fervidum, ac
 ſulphureum Salem abeant, qui poſtea admodum

A 4

facile

facilè aëris beneficio animari , & in Salem petræ convertitur. Sal talis, licet instar Salis petræ non statim flammam concipiat , & ardeat , jam tamen eò est deductus , ut in agrorum macrorum, & sterilium stercoreatione idem præstet , quod fimetum cujusvis pecoris aut pecudis in agris pinguefaciendis efficere solet. Hinc eodem sale quamvis arenam puram putam , & omni pinguedine destitutam ità pinguefacere illicò licet, ut frugibus ferendis, & reddendis apta evadat. Nemini autem fit verisimile , quid Sal aliquis corrosivis suis viribus spoliatus præstare valeat. Ideò Christus non frustrà dicit discipulis suis: *Sal terræ estis*. Terra, quæ Sale caret , mortua est, nec fructum ferre potest. Sal enim hic inversus non solum arenosis , & planè sterilibus agris, vix parum erycæ edentibus, sed etiam fertilibus pinguefaciendis inservit, ut singulis annis conferantur , & fructus emittant. Maximum profecto est Dei donum , quo ingratis-
simus hic Mundus planè indignus est. Crebrò contingit, ut agricolæ fimo necessario destituti agros suos non conferant , sed eos vacuos , & inanes relinquere tamdiu cogantur, donec eos conferendi facultas sese offerat. Sed quid hoc commodi affert ipsis , qui Magistratui interea debitum tributum pro ipsis solvere debent, nihil tamen commodi ex ipsis percipientes. Annon satius esset, ut tertiam, aut quartam duntaxat ejusmodi , bonorum partem possiderent, quotan-

quotannis fructus debitos reddentem. Hoc pacto certè Rus ejusmodi, quod aliàs rustici unius sustentationi vix par est, decem aliis alendis sufficeret, si ligno, aut Sale hâc ratione inverso pinguefieret. Pari omninò ratione etiam vineæ pinguescere possunt, ut frustra non colantur, sed uvis ferendis luxurient.

Sic etiam arbores fructuum feraces, & prata ac pascua in ferendo gramine segniora eodem Sale ità emendari possunt, ut meliores fructus, & pinguius gramen ex ipsis prodeant. Sed hæc de his hac vice sufficiant; plura in tertia Prospexitatis Germaniæ parte, Deo dante, sequentur. Intereà illa frumenti ac vini copia ex parte consumetur. Nullus autem dubito, excellens hoc Dei omnipotentis munus à bonis Patribus familiâs quæsitum, in honore habitum, & ab hac horâ usque, ad mundi finem, honoris Divini & salutis multorum millium hominum promovendæ causâ, effectui datum iri.

Hic autem ligni proprio suo igne in acetum acerbum exprimendi, & hunc succum acidum, Salis fixo in carbonibus combustis, aut cineribus remanentis beneficio iterum coagulandi, & in salem sterilia rura pinguefacientem, aut aëris beneficio in Salem petræ abeuntem, redigendi Modus artificium profectò est excellens & singulare, quod inutile lignum quodvis utile, & emolumentum insigne pariens reddit; quales inventiones tanta commoda afferentes hæctenus

A 5

à nemi-

à nemine literis proditæ sunt. Atque eò melior etiam est hæc, quam illa in cineres clavellatos ligna redigendi inventio, in quâ omnis succus acidus in fumum abiens, omninò perit, & amittitur, & ex maxima copiâ ligni, pauci admodum cineres remanent, ac ex eorundem sale paucissimo vix decima pars ad agros pingues reddendos, aut mutationem in salem petræ apta reperitur. Non ipsi etiam cineres., sed Sal in ipsis latitans agros pinguefacit, & in Salem petræ mutatur. Itaque hic meus succum lignorum eliciendi, & in bonum Salem coagulandi modus longe præferendus est illi, qui cineres clavellatos ex ligno parat. Nec solum torcular hoc ligneum fertili ex omnibus lignis succo exprimendo inservit; Sed etiam iis in locis summa cum utilitate usurpari potest, in quibus ligno carentibus, & multis paludibus, ac limosis stagnis refertis cespites, lignorum loco usurpandi, ex fundo eruuntur. Etenim cespitum ille succus, æquè ac lignorum, ad agros pinguefaciendum idoneus est, adeò ut nulla regio causam habeat conquerendi, quod sibi de aliqua Universalis illius Thesauri mundani parte à Benigno rerum omnium Creatore copiosè non prospectum sit. In altis regionibus lignorum copia proluxa suppetit, ac humiles cespitum ingentem vim suppeditant. Sicut igitur in regionibus editiorem situm habentibus lignorum ineffabilis multitudo putrefactione perit, aut crescens,

scens, & decrescens nulli usui, aut commodo inservit: Ità idem quoque cespitibus contingit in humilioribus, & depressioribus locis, in quibus sæpenumero ingentes tractus ne minimam quidem ulli homini utilitatem conferunt, & nihilominus magnos penetralibus suis thesauros abscondunt. Cum paludosis & uliginosis districtibus ità comparatum est; si gramine obducti bestias admiserint, ut gramen illud depascant, emolumenti quid adhuc hominibus afferunt: Sin vero uligine nimia obfessi fuerint, ut humanis vestigiis ferendis pares non sint, omni prorsus utilitate carent. Sunt paludosi tractus musco solo vestiti, qui nec pecora nec pecudes alere, nec cespites suppeditare possunt, eò quod nimia arenâ, aut nimis largus muscus gramen impediunt, quominus nascatur, & cespites igni concipiendo idonei conficiantur. Et tamen illi ipsi tractus igne pressi fertilem expromunt succum, quo finitimi campi, ut plurimum arenosi, fertiles reddi possunt. Paludes verò illæ nihil aliud continent, quàm pinguedinem illam, quæ ab aquâ pluviam ex vicinis territoriis altis & arenosis extracta, ac collecta in terras & valles inferiores convehitur, ac in muscum concrefcit; Undè jure ac meritò sterilibus illis terris arena constantibus, easdem pinguefaciendi gratiâ, reddenda esset. Hac igitur ratione fieri posset, ut plurimis terris vastis & desertis, quæ nullo prorsus emolumento genus humanum afficiunt, fer-

fertilitas summa conciliaretur. Quæ dico, cum veritate ipsâ conveniunt, & forsan temporis progressu verissima comperientur, & plurimis locis prodesse poterunt. Hoc autem tempore rusticis mera somnia esse videntur, ac captum in ipsorum cerebris cerevisiâ semper distentis sedentem superant. Cæterum sicuti quævis palus pinguis finitimas terras editiores & steriliores, arenâque oppletas pinguefacere potest; ita Oceanus Universalis est Medicina & pinguefactio omnium, quas lambit, regionum editarum & sterilium, quibus sale suo contento perfectam fertilitatem, & feracitatem largitur. Unde Benignitatis & Bonitatis Divinæ Providentiæ incredibilis liquidò patet, ac jure, meritoque Omnipotenti Deo pro sua hac curâ paternâ ab omnibus hominibus gratiæ indefinentes, & maximæ habendæ, & tam ingentia ipsius munera, & beneficia nunquam ex memoriâ deponenda sunt. Quomodo autem Sal marinus arenosus & omni pinguedine destitutas terras, pinguefaciat, & fertiles reddat, exactius postea demonstrabitur. Obiter hîc in mei torcularis lingua prementis descriptione ejus rei mentionem facere volui. Quantò melior igitur est mea ex lignis succum conservandi ars, & inventio, illâ inventionem, quæ ligna in cineres clavellatos redigit; tantò etiam potior & excellentior est, meus Modus arcanus, quo ferè totum ligni pondus, exceptâ sola inutili aquâ & Phlegmate, quod



A. Ist der Ofen darinn das holz gebreiset wurde.


B. Der deckel darmit der Ofen geschlossen wurde.

C. Die thur an dem Ofen dar durch man die kohlen aus nimbt.

D. Seind die röhren darinnen sich der holzsafft
Condensirt vnd heraus rint.

E. Ist ein fas darinn der holt essig laufft.





quod ligno adfuit, in transmutatione illâ conservatur. Facili enim conjecturâ, qui mentis impotes non sunt, providere possunt, quod in lignorum combustione illâ apertâ nobile Sulphur ab igne consumatur, & nulli emolumento esse queat. Si autem res ita institui possit, ut lignum non ardeat, & ardendo non consumatur, sed seipsum consumendo, sine omni ferè ponderis jacturâ, in Salem Sulphureum vertatur, magni momenti negotium conficeretur. Qui hoc præstare novit, scopum profectò attingit & finem optatum consequutus est. Carbo licet succo suo privetur, ferè tamen eandem retinet quantitatem, quam habuit lignum, ex quo combustionem paratus est. Talium carbonum libra una comburendo in cineres redacta, vix unum, duos aut tres lotones dabit, ex quibus paucis cineribus dimidiam, tertiam, aut quartam Salis idonei, qui in Salem petræ mutetur, aut agros pingues reddat, partem ægrè eruas. Nam in combustionem nobile Sulphur, tanquam maxima pars cum fumo evanescit, & ex unâ carbonum librâ vix dimidia aut quarta lotonis unius pars Salis istius prodit. Ideò haud exigua est ars Sulphur illud cujus virtutes sunt maximæ, conservare, & in tam nobilem Salem convertere.

Excellentissimi hujus Arcani agricolas & vinificatores lubenti animo participes fecissem, ut ejusmodi munere affecti grato animo mei recordarentur; ni maximum ingrati animi crimen, quod
magis.

magis ac magis in ingratis hujus Mundi incolis animadverto, me impulisset, ut illud adhuc aliquandiu mihi reservem, & apud me delitescere patiar: siquidem gratum hominibus non accideret hoc tempore, quo vini ac frumenti ubique maxima est copia. Si verò aliquando, quod pro dolor timendum, Ira Divina ingruerit, ima summis miscuerit cunctisque rebus ablati terræ pinguedinem consumpserit, quod Deus tamen prohibeat, tunc munus hoc Dei gratum acceptumque foret, quod fors temporis hujus feris bestiis risui & ludibrio futurum esset. Vasi vino, aut frumento abundanti, & pleno si quid amplius infuderis, in eo non remanebit, sed recidet. Ità etiam hoc tempore summâ omnium rerum affluentia ubique locorum luxuriante, & nullius rei penuriâ laborante nihil nisi mera superfluitas ejusmodi arcanorum revelatio esset. Onerentur mente captorum, insanorum, & temulentorum hominum aures vel infinitis verbis ejusmodi arcana lucrosissima detegentibus, ea tamen susque deque habita ludibrio, & sannis excipient. Fecit id Farnerus ille impius, omnium ejusmodi ludionum & sannionum improbissimorum antesignanus, qui irridendi initio facto, cunctis magnorum miraculorum, & ditissimorum munerum irrisoribus viam stravit, ut etiam tam ineffabilia beneficia risui haberent. Ideò non necessarium esse dico, ut talia in lucem producantur. Agricolaë & vinitores iis contenti esse pote-

poterunt, quæ in præsentia ipsis denudantur. Acidus enim, expressus, & ad dulcedinem reductus lignorum succus in agrorum pinguefactione & stercoratione longè plura præstabit, quàm alicui verisimile fieri potest. Si futuro tempore necessarium fore animadvertero, ut plura & meliora in apertum producam, eorum revelatione neutiquam superseabo, ideò aliquandiu adhuc remoraturus *Prosperitatis Germaniæ* Tertiam Partem, & expectaturus, quo hujus Mundi res evasuræ sint. Equidem certus sum, scripta mea futuro tempori longè gratiora fore, quàm huic eadem esse comperio. Causam jam indicavi. Quò majore autem ludibrio mea scripta ab impia Farnesianorum sannionum turbâ hoc tempore excipiantur, eò majore honore sequuturis annis ab hominibus afficientur. Sed omissis istis nebulonibus præli toties dicti descriptionem, ac expressi, iterumque coagulati lignorum succi usum aggredior.

De

*De figura, usu, & utilitate praeli, sive
torcularis, cujus adjumento ex lignis sine
magno labore copiosè exprimitur suc-
cus idoneus, ex quo Sal petra
paratur.*

Forma, sive Figura.

Primò struatur ex lateribus Fornax rotunda
eam figuram habens, quam in typo præsent
litera A commonstrat. Emuletur autem vitria-
riorum furnos, ità ut ab inferiore parte largiore
sensim exurgat in acumen rotundum, in fastigio
foramen rotundum, & unum pedem latum ape-
riens, per quod ligna injici queant. Foramine
aptandum est operculum ex laterum materia ea-
dem coquendo paratum, quo foramen illud clau-
datur. Inferioris partis latus unum, januam ha-
bere debet, per quam carbones extrahantur. Al-
terum verò perforatum sit oportet foramine
cui aptetur canalis, seu fistula ex terra figulina
vel latericia excocta & tres aut quatuor circiter
orgyas longas, in qua fumus ex lignis injectis
per ignem expulsus in acidum succum conden-
setur, & destillet in dolium ligneum, quod suc-
co ex canali defluenti recipiendo, ipsi canali ap-
positum est. His omnibus dicto modo paratis,
fornax usque ad summitatem lignis impletur, &
si ligna non satis sicca fuerint, ipsis usque ad for-
naxis

nacis summitatem coacervatis fruticum sicciorum, & aridiorum fasciculus imponitur, cujus ope eò facilius accendantur. Postquam ligna accensa fuerint, & probè arserint, fornacis foramen in summitate arctè operculo occludendum, ac fumo omnis exitus adimendus est, ut nullum exitum inveniens descendere, & canalis inferius patentis foramen quærere cogatur. Quando igitur ligna paulatim incandescunt & flammam tamen emittere nequeunt, calor ex ipsis succum omnem exprimit, & in canalem propellit, in quo ex fumo in succum aut acetosum liquorem mutatur, ità mutatus ex canali in appositum dolium destillans, aut defluens. Lignis omnibus in carbones conversis, & nullum amplius fumum emittentibus, tota fornax, ubicunque aërem admittere potest, imò ipsum etiam foramen, cui canalis aptatus fuit, madefactis cineribus oblinatur necesse est, ut prunæ suffocatæ in fornace refrigescant, & carbones integri maneant. Exempti ad usus necessarios adhibentur, cum bonitate cæteris respondeant, quos carbonarii in sylvestribus locis parare solent. NB. Hoc intelligatur velim de ejusmodi lignis, quæ mediocris crassitie se in carbones redigi patiuntur. Nam si succum expellendi causâ in fornacem frutices, & virgulta conjeceris, nil nisi carbonum scobem, & pulverem nancisceris, qui post omnem succum expressum in fornace non oblitâ, ut prius faciendum docui-

B

mus,

mus, sed apertâ tam diu relinquendus est, donec in cineres abierit, qui ad succum expressum coagulandum requiritur, ut ex iis, quæ de coagulatione succi mox dicturi sumus, patebit. Discrimen igitur hoc inter ligna observandum erit, ut frutices, & virgulta post succi expressionem in cineres comburantur; crassiora verò ligna post eandem operationem suffocentur, & in carbonibus mutantur. NB. Ubi carbonibus non indigeris, aut eosdem vendere non potueris, eosdem apertâ fornace, ut in cineres comburi sinas, necesse est. Si in ejusmodi loco hæc operatio institueretur, in quo lapides invenirentur idonei, ex quibus calx cæmentaria igne conficiatur, operæ pretium esset, ut strues lignorum & lapidum mutuâ impositione in fornace miscerentur, quod Chymici *Stratum super stratum* vocant, ac post succi expressionem fornax aperiretur, quò ligna in cineres converterentur. Dum autem in cineres abeunt, eâdem simul operâ & lapides calcinant, ac in calcem mutantur, quæ aëri exposita, ita tamen, ut aquâ pluviam madescere nequeat, in pulverem minutum dilabatur. Huic pulveri cineribus lignorum misto affunditur succus ille acidus ex lignis expressus, ut duæ hæ naturæ contrariæ mutuis laboribus se exerceant, & probè uniant: quâ in operatione acetosus ligni Spiritus acrimoniam suam amittit, ac Sal ligni & lapidum fixus alteratur, ita ut ex utrâque Naturâ, contraria prodeat media Natura, & suavior

vior Sal, qui aëri expositus, & diu in eo conservatus ex eodem vitam sibi attrahit, & in optimum Salem petræ transmutatur. NB. Hæc mixtura eo pacto aëri exponenda est, ut sub tecto manens superius tecta, & à lateribus aperta, pluviarum injurias vitare, & nihilominus aërem attrahere possit. Si ab aëre exsiccata fuerit, urinæ hominum, aut pecorum & pecudum affusione rursus humectanda est, ut nunquam penitus exsiccet. Hæc si ritè peragantur, optimus Sal petræ unius, unius & dimidii, aut ad summum biennii spacio ex hæc materiâ copiosè prodibit, qui extractus, purificatus & coctus in purissimas Cryсталlos concrevit. Residua materia in pristinum sub tecto locum projecta, & eodem modo tractata biennii intervallo novum Salem petræ producit, qui eadem ratione excoqui potest. Nam mixtura illa semper bona manet, modò sicce urinam, uti diximus, affuderis. NB. qui citius Salempetræ acquirere cupit, post acidi spiritus cum cineribus conjunctionem, & utriusque præcipitationem, & mortificationem, ex materiâ illâ conjunctâ aquæ affusione salem excoquere, eumque urinâ solutum per vasa circulatoria digerere poterit, ut unius anni spacio optimi Salis petræ compos fiat. Succum ex lignis exprimendi, & eadem simul operâ calcem ex lapidibus conficiendi labor hic in omnibus iis civitatibus, & locis effectui dari potest, in quibus ligna & lapides copiosè in promptu sunt.

Si autem in sylvis instituenda esset eadem operatio, fornax ex lapidibus structa non requireretur, cum ligna coacervata, & in struem composita cespitibus viridibus tantummodò tegi & operiri queant, & planè quidem eo pacto, quo Carbonarii in carbonibus suis conficiendis utuntur, habitâ tamen hîc ratione foraminis in latere, cui canalıs aut fistula adjungenda est. Succo expresso, acervus ubique obturandus est probè, ut aëri nusquam aditus aliquis concedatur, si carbones conservandi sunt. Refrigerati & exempti in urbe venales exponuntur, aut ad alios usus necessarios adhibentur, aut fabris ferrariis venduntur, ita ut succus expressus, qui vase nullo exceptus, alias fumando evanisset, nihili planè constet. Sin carbones non desiderentur, aut etiam venundari non possint, in cineres comburantur, ut coagulando spiritui & in Salelem postea aëris adjumento intrâ certum temporis spacium in optimum Salem petræ transmutando inserviant. NB. Animadvertendum quoque hîc est, quod succus expressus etiam secum vehat acre, & fervidum oleum colore subrubro, quod non abjiciendum, sed unâ cum Spiritu illo acido cineribus affundendum est, ut unâ cum cæteris naturam Salispetræ induat, si cum Salibus putrescat. Ad alios verò usus, qui vult, idem adhibere potest, utpote quod & alias utilitates suas habet. Omni ligno facilè putrescenti, & pluvix exposito, aut in aqua stanti illinitur,

tur, ut conservatum non tam facile putrescat, cum aqua ligno non adharere possit, sed defluere cogatur, aut impediatur, quò minus ligni poros penetret. Eodem rustici & aurigæ loco adipsis, quo rotarum axes oblinunt, uti possunt, præsertim sevo aut resinâ condensato. Optimus autem ejus usus, si salempetræ excipias, quantum mihi quidem hætenus constat, in eo consistit, quod lixivio acri ex calce & cineribus parato solutum & coctum smegma evadat admodum calidum, & fertilitatem concilians; si macra, & arenosa rura eodem conspergantur, & humectentur. Etenim ea admodum fertilia & feracia reddit, quod non tantum in agris præstat, sed etiam in arboribus, & vitibus, adeò ut una eodem plena tonna tantum ad agrorum stercorationem conferre valeat, quantum decem fimo equino, aut vaccino repleta plaustra solent: Faciliusque dolium ejusmodi smegmate repletum in longè remotos agros ac vineas, quàm decem plaustra fimi, quod aliàs certè magno labore, & haud paucis sumptibus in vineas deferretur scopulis, & rupibus insidentes, ut pingues reddantur. NB. Si ad vinearum stercorationem hoc smegma adhibendum esset, ejus nimia copia unâ vice mox ab initio adhiberi non deberet, ne vites pinguescendo luxuriantes nimium excrescant; Ideò modicus ejus usus requiritur, qui in arborum stercoratione non ita attendendus est, quanquam & hîc mediocritatis

B 3

ex-

excessus damnum infert , bonarum rerum quidam fit excessus , qui detrimentum afferat. Arbor aut vitis nimium pinguis stercoratione evadens crescendo luxuriat , & plures fructus emittit , quàm ferre , aut maturare potest. Lignum ipsum fit nimis pingue , & molle , ut hyberno tempore frigoris injuriâ facilè lædatur. Unde in omnibus rebus mediocritatis limites non transgressuro modum adhibendum esse patet. Nigrum hoc smegma ex lignorum oleo confectum Dei donum profectò est maximum iis in locis , in quibus terras arenæ steriles reddunt. Hinc admirabilis Creatoris nostri sapientia liquet , nos ita quasi alloquentis : *Vos rudes & imperiti homines , cur hunc locum incultum relinquitis ? Quoniam eum nullo frumento conferere potestis , volui , ut lignum produceret , & vobis materia suppeteret , quâ eum pinguem reddatis , si velitis.* NB. Nam satis superque notum est , quod animalia , & vegetabilia putrescentia terram stercorent , & pinguem reddant , quod rustici jam etiam didicerunt , eandem etiam sine putrefactione stercorentes , & pinguefacientes , quando nimirum frutices , & arbores quæ , bellis longum tempus durantibus , ex arvis & agris excreverunt , succisas & excisas comburunt , cineribus rura conspergunt , & iisdem pinguedinem subministrant. Quod autem acidum spiritum , & calidum oleum , quæ comburendo evanescent , capere , invertere , & cum cineribus ad sterco-

ra-

rationem usurpare nesciant, nemini mirum videri debet, cum nemo adhuc idem ipsis dixerit. Mihi tamen persuadeo, hunc agros stercorandi modum temporis progressu in usum, & consuetudinem abiturum, non ita citò tamen, ob copiam frumenti cujus hujus pacis tempore magnam, ubique locorum multitudinem diligens cultura suppeditat. Si autem futuris temporibus *novum bellum*, quod Deus avertat, nostras regiones inundaturum, & multos annos, ob hominum, equorum, & aliarum rerum necessariorum penuriam, rura inculta mansura & pessum itura essent, tunc arbitror, & non citius, hanc artem necessariam fore, & quæsitum, ac investigatum iri.

Quæ autem alia succus lignorum dictus præstare queat, quominus hîc enarremus, opusculi brevitate impedimur. Hoc tamen auctarii loco addimus, acidum hunc Spiritum, si rectificetur, in multorum bonorum medicamentorum præparatione, in artibus mechanicis, in multorum pulchrorum colorum confectione, metallorum ex lapidibus & mineris extractione, & omnibus iis, ad quæ vulgare acetum usurpatur, eadem omnia commodè effectui dare; imò longè commodius, quia vulgaria vini & cerevisiæ acetata acrimoniâ suâ longè superat. Solus autem, & *Virg. spūs hujus in medicina* per se efficax est medicamentum, quod multis incurabilibus morbis medetur; Aquæ calidæ *et etiam olei* mistus, & in balneo ad corpus lavandum usurpatus longè efficacior est thermis illis ex terrâ

prorumpentibus , præcipuè in omni scabie , membris paralyfi Gallicâ solutis , ac fistulosis & fœtidis ulceribus , crura , & alia corporis loca obsidentibus. Item in Podagrâ , Calculo , Contracturâ , Schiaticâ , paralyfi , morbis uterinis , & omnibus ejusmodi ægritudinibus , aliàs thermarum ope curandis , quibus acetum hoc ex lignis expressum viribus suis salubribus longè antecellit.

Idem facit & oleum illud calidum cum Spiritu per expressionem expulsum , quod in curandis illis externis affectibus & ulceribus miras vires exserit. Pro quo certè , ut pro maximo dono , quod ubique locorum faciliè reperitur , nemo eorum , qui gravibus morbis onerati sunt , gratias sat magnas Deo omnipotenti agere potest : Inprimis autem pauperum , quibus nummorum non est tanta largitas , ut ipsis Pharmacopœos cumulare queant. His proprio labore lignis tam excellentem , & efficacem medicinam extorquere licet. NB. Hoc loco etiam illud observetur oportet , quod balneum succo lignorum dicto temperatum ingressuro , prius hujus aceti plena cochlearia aliquot epotanda sint. Totum enim corpus permeando acetum hoc cuncta superflua & naturæ noxia per sudorem ejicit , & omnes lienis , epatis ac pulmonis obstructions referat : Præcipuè autem , quando acetum ex ejusmodi ligno aut herba elicatur , quæ peculiaribus ad eliminandas istas ægritudines viribus do-

dotata est. *Exempli gratiâ.* Vitis, fagi, & betulæ similiumque acetosus Spiritus internorum viscerum obstructions tollit. Ex quercu, aliisque lignis durioribus paratum acetum medetur sanguinis putredini, omnibusque ex eâ morbis profectis, ut Morbo Gallico, lepræ, omnis generis externis ulceribus, scabiei, fistulis, & ulceribus apertis. Omnibus item contracturis, epilepsiæ, Apoplexiæ, & paralyfi. Sic acetum fraxini, cerasi, pruni, pruni sylvestris, mespili, arbuti, & similium arborum quæ fructus nucleos habentes ferunt, Podagram, Chiragram, gonagram, & calculum renum ac vesicæ curat. Ex Balsamicis herbis, hypericone puta, salviâ, veronicâ, Saniculâ, Betonicâ, pulmonariâ, epaticâ, saxifragâ, & aliis ejus farinæ salubribus herbis expressum acetum omnes epatis, & pulmonis, internas læsiones, cunctosque internos affectus ex verberibus, casu, aut offensione aliquâ exortos aufert. Adeò efficax est hic lignorum succus medicina, ut plurimæ sumptuosæ, & magni pretii compositiones Galenicæ ipsi cedere, & primas deferre cogantur. In balneo conficiendo aquæ decem libris una Spiritus acetosi libra adjungenda est, dosisque hæc ægroti, & morbi ratione vel augeri vel minui potest.

Ante Balnei usum, spiritui cochlearibus exhauriendo, aliquot olei, quod cum spiritu exivit, guttulæ adjungi possunt, quæ spiritui opem

B 5

fe-

ferant, ut corpus promptius permeet, & morbum fortius aggrediatur, & citius expellat.

In podagricis doloribus, membris affectis, & in calculo renibus affricatum idem oleum cum Spiritu haud contemnendum lenimen ægris affert.

Ut paucis dicam, hic lignorum, & herbarum succus, si legitimè paretur & usurpetur, pulchra, & instructa Galenicorum Pharmacopolia, licet plurimis pictis & deauratis vitris, pyxidibus, vasis superbiant, pudore suffundere poterit.

Nullus autem dubito, quin temporis progressu Medici conscientia suæ habituri rationem ejusmodi coctiones inutiles abrogaturi, & in earum locum meliores & utiliores præparationes reposituri sint, ut Deus debitâ laude celebretur, & miseris ægris succurratur.

Nam quamvis acida hæc aqua totius herbæ vires non contineat, nihilominus tamen pro effice herbarum aquâ in Medicinâ & usurpanda, & habenda est, quandoquidem illa in Pharmacopoliis usitata paucas admodum vires possidet, ut experientia quotidiana apertè testatur; cum purum putum herbæ phlegma sit, & potissimæ vires ipsaque Herbæ essentia in putaticiiis fecibus remaneant, licet aliquid odoris & saporis aqua secum in destillatione abstulerit. Aspiciatur sicca aliqua herba, quam aëris aut Solis calor omni phlegmate & humiditate insipidâ privavit,

vavit, ac consideretur, an suâ efficaciâ, odore, & sapore orbata sit. Ac licet temporis diuturnitate omnis sui saporis, & odoris jacturam fecerit, potissimâ tamen in eâ virtutes adhuc delitescunt. Imò quamvis per destillationem etiam acetum ipsi ademptum sit, ac imperitus aliquis putet, in residuis carbonibus nigris, & vilibus lignorum, aut herbarum nihil omninò virium restare, cum tamen in iisdem optimâ adhuc, & efficacissimâ vires reliquæ sint, delitescentes in optimo Sulphure, & Sale. Vires autem in ipsis efficaces adhuc latitare, & rusticis haud ignotum est, qui hyberno tempore iis ardentibus frigus à se amoliantur, & cibos coquunt, quod tamen phlegmate per destillationem separato nunquam facient. Tantas vires possident carbones illi nigri, & ab imperitis hominibus contempti, qui etiam nobilissimi Solis vires, & proprietates æmulantur, eâ de causâ meritò *Soles terrestres* appellandi. Quicquid enim in superiori firmamento Astralis ille, & Sydereus Sol efficit, idem & terrestres Soles, carbones nimirum, superioris & magni Solis vicarii, effectui dare possunt. Superior omnes res vitæ & facultatis crescendi participes reddit. Idem inferior Sol præstat. Sole hyberno tempore longius à nobis recedente, cuncta terræ Vegetabilia quasi emoriuntur: Eodem, tempore verno, ad nos redeunte, cuncta quasi refurgunt, reviviscunt, crescunt, se movent, augent & nutriunt. Insecta ipsa,
quæ

quæ in antra, & cavernas terræ, frigus fugiendi gratiâ se abdiderunt, ac quasi mortua jacuerunt, viva iterum in lucem prodeunt. Quæ effecta omnia Soli superiori accepta ferenda. Eadem & inferior Sol effectui dare solet. Etenim quando in conclavi aliquo muscæ, aranei, & alia ejus farinæ infecta, ingruens frigus vitantia, in rimas se receperunt, ac in iis quasi mortua latitant, ut primum conclavis illius igne aliquo incalescentis calorem senserint, vitâ pristinâ quasi recuperatâ ex nidis & latibulis suis prorepunt, & perinde ac si verno tempore Sol nobis appropinquans ipsa pristinæ vitæ iterum compotes fecisset. Imò si in conclave ejusmodi calefactum magna infecta, ut ranæ, angues, lacertæ, aliaque similia, ut & herbæ emortuæ frigore reponerentur, æquè ac si magni Solis Elementaris radiis illustrati essent, ad pristinam suam vitam redirent, revirescerent, & crescerent. Si igitur hæc contemptus carbo, qui imperitorum judicio omni succo & omnibus viribus nudatus est, præstare potest; quidnam quæso medicinam artis adjumento ex tali carbone paratam esse præstituram putes?

Sed Medicorum putaticiorum aliquis hic diceret; Quis ex tam arido & insipido carbone medicamentum aliquod pararet? Nec maxime corrosivo liquore solvitur, nec intensissimo igne liquatur, si aër nullus ad ipsum accesserit: cujus si vel minutissima portio ipsum attigerit, flam-

mam

mam mox concipit, flammâque conceptâ consumitur, ut præter paucos cineres sali commixtos nil aliud restet. Reliqua omnia combustionem consumpta pereunt, & evanescunt; quæ vires omnibus rebus emortuis vitam restituentes, & viventia quævis reficientes, hîc autem cum flammâ & fumo in auras dissipatæ, si ulla ratione capi, & conservari possent, nullus dubito quin magni momenti medicina acquiri possit. Huic ego respondens quæro, cur tanta efficacia non conservetur, & ad medicinam optimam conficiendam usurpetur, priusquam ustione evanescat, & in auras abeat? Quicumque Philosophus modum hoc efficiendi ignorat, vilis profectò est Philosophus, qui erubescere omninò deberet, quod aliis scientia & eruditione ipsum superantibus ex nimia superbia se præponat, & eosdem contemnat. Qui palpabili & coagulata aliqua materia, antequam usta consumatur, & evanescat, uti nescit, quo pacto eandem ex chao suo eliceret, & concentraret? Quod verò non unusquisque nobile hoc sulphur multis vinculis arctissimis irretitum, & fortissimis custodibus custoditum liberare sciat, neutiquam mirum est. Etenim haud facillè obsequitur, nec cuivis vocanti adest. Ex omnibus Philosophis nullus est, qui clarius & apertius doceat, quo pacto vinculis suis expediri queat, quàm Sendivogius expressè dicens: *Hoc sulphur in obscuro carcere captivum, ac vinctum delitescere, & à fortissimis custo-*

custodibus custodiri. Solum autem Salem incurabile ipsi vulnus in pugnâ inflixisse. Clarius auctore laudato, hoc nemo dixerit. Qui igitur nescit, qua ratione vitalis illa virtus vinculis suis expedienda, & ad summam medicinam usurpanda sit, citatum Sendivogium audiat, qui ipsum clarè docebit. Si ab eo non didicerit, non est cur ipsi adjumento esse quis laboret.

Similitudine rem proponam: Homo ex tribus compositus, corpore, spiritu, & anima constat. Corpus est visibile, immobile, crassum, terrestre & corruptibile: Spiritus invisibilis, vivus, mobilis, & tamen mortalis: Anima verò hominis pars nobilissima immortalis.

Pari ratione & in Vegetabilibus & Mineralibus anima aliqua animadvertitur, quanquam pauci sunt, quibus ejusdem extractio innotuit. Sicut igitur in homine anima nobilissima pars est; Spiritus verò vilior; & corpus vilissimum: Ità etiam cum Vegetabilibus, & Mineralibus comparatum est. Animam Vegetabilis, aut Mineralis alicujus acquirere desideranti separanda est anima illa fixa & constans artis adjumento ab illo corpore crasso, inutili, & mortuo. Quamdiu enim crassum corpus nobilissimæ animæ adhæret, tamdiu hæc debito modo se movere nescit, nec suam nobilitatem demonstrare potest: sed à crasso suo corpore vinctâ & captivâ detinetur, donec ab aliquo vinculorum solutionem callente liberetur. Corpore autem crasso deposito,

sito, vinculis soluta & libera mox vires suas exserere potest. Medicorum igitur cura hæc potissima esto, ut loco corporis viribus destituti, & mortui, animam fixam & vivificantem ex Vegetabilibus adipiscantur, ut eâ in morbis curandis utentes longè majora præstent, quam nunc quidem faciunt.

Hanc dissertationem eâ tantum gratia hîc inserui, ut indicarem, integrum corpus parvi admodum momenti esse, & nobilissimam solummodo in eo partem, *animam* scilicet, idoneam reperiri, quâ aliquid boni in medicinâ præstetur.

Quemadmodum autem in Mineralibus præter fixum & incombustibile Sulphur aliud reperitur combustibile, & fugax: Ità etiam duplex Sulphur reperitur in Vegetabilibus, in quorum per retortam destillatione cum phlegmate, & acido spiritu, pingue quoque & combustibile oleum expellitur, quod suis quidem viribus pollet, sed neutiquam ea præstare potest, quæ pars in nigris carbonibus residua efficere solet. Quò constantius enim, & fixius fuerit medicamentum, eò fixiores & diuturnioris moræ agritudines aggreditur, sicut è contrario fugacia medicamenta in iisdem debellandis minus efficacia deprehenduntur.

Quod de Vegetabilibus tradidimus, spiritum nempe volatilem, aut fugacem, & animam constantem ac fixam ipsis inesse: Idem quoque de Mineralibus intelligendum, quæ præter combusti-

buftibile Sulphur etiam fixam & constantem animam possident.

Quicumque verò conjunctionem animæ Vegetabilium , cum Mineralium animâ noverit Medicamentum consequutus est , quod hominis animam stupendâ ratione corroborare potest. Vegetabilium enim , & Mineralium animæ coagulati sunt Solis radii , qui necessariò vivificantem virtutem continent , cum ipse Sol omnes res vitæ participes reddat.

Veluti autem homo , si Solem , aut vicarium ejus , ignem , terrestrem solem , tantummodo aspexerit , etiam si in profunda & admodum frigida cellâ sederet , ac calefacientes , ac vivificantes ejusdem vires non sentiret , tamen nudo ejus aspectu cor suum recreari , & corroborari animadverteret : Quanto verò majorem corroborationem & recreationem cordis sensurus esset , si vini aut alterius alicujus herbæ animam cum auri animâ conjunctam interno usu adhiberet ad curandum corpus suum , cum quo animabus illis maxima intercedit familiaritas. *Simile enim simili gaudet* , & eidem jungi desiderat , ac proinde nemini absonum , & à veritate alienum videri debet , quod animam Vegetabilium , æquè Auri , quàm humidi radicalis corporis humani augmentum esse posse asseram. Nam Vegetabilium *anima* nil aliud est , quàm Essentialis Sal Universalis , qui in omnibus rebus reperitur.

Cum

Cum igitur in *Turbâ* Philosophi fateantur² Auri ruborem, & Argenti albedinem Universalⁱ Sale suo augeri posse: par est; ut in eâdem sententiâ acquiescamus, eidem assentiamur, & eandem contrâ errantes tueamur, tantum abest ut eam impugnare conemur. Oculis videntibus, & manibus palpantibus fides adhibenda est. quod tamen hæc dissertatio mea pluribus verisimilis futura non sit, facile mihi persuadeo, licet emendare non possim, cujus nullam culpam sustineo. Eo contentus sum, quod veritatem scripserim, & proximo meo lumen accenderim.

Spiritus Sanctus omnium piorum hominum corda, quæ in hâc tenebrosâ fœtidi Mundi palude adhuc terrestribus tenebris occœcata sunt, radiis suis itâ illustret, ut ex crassis & frigidis suis tenebris scintillulam luminis divini apprehendant, eademque animas suas reficiant & recreent, atque itâ cœlestis ac divinæ claritatis tandem etiam participes fiant. Amen.

Uno eodemque modo ex vili ligno tuo exiguo pretio confectionem monstravi militibus Salis petræ, hortulanis, vinitoribus & agricolis ad vineas, pomaria, agros & prata idoneæ stercorationis; agris commodarum thermarum; Pharmacopolis & Chymicis optimi aceti ad extractiones varias necessarii. Restat ut fodinarum metallicarum cultoribus etiam munusculum quoddam offeram. Si calcem vivam unâ in prælo, ut docuimus, ex lapidibus calcinatis factam

C

aceto

aceto lignorum humectaverint, fluxum bonum consequentur, quo duros illos, & feros lapides ex venis metallicis erutos facili admodum negotio liquefacere poterunt. Nam acidus ille lignorum spiritus à calce vivâ fixatur, & in Salem ad facilem fluxum proclivem convertitur. Hic tamen Sal majori emolumento foret agricolis suos agros stercoratione pingui latiores reddituris, in quorum gratiam ipsum etiam describo, cum in corporum mineralium fusione tantum lucrum non conferat. Medici ad multorum incurabilium morborum felicem curam honorem ipsis & divitias parituram nobili & efficaci lignorum succo usurpare possunt. Aceto hoc lignorum hyberno tempore in doliis frigori expositam, ut in glaciem concreseat, phlegmate solo in glaciem concreto, acerrimus spiritus cum oleo in glaciem non mutatur, sed in medium dolum se recipiendo adeò mordax & acer evadit, ut aquæ fortis instar metalla corrodat. Si Principibus & Magnatibus libuerit ligna, in ditionum suarum sylvis aliàs putrescentia, in Salem petræ convertenda curare, bene facient, laborisque ipsos non pœnitebit, quandoquidem tempus instat, quo Sale petræ maximè opus erit.

Est adhuc arcanum quoddam, quod in rusticorum gratiam in lucem me proferre oportet, haud exiguum commodum ipsis allaturum. Per ticæ, longurii, aut pali, quibus vites lupulorum caules sustinentur, si igne, quâ in extremitatem suam

suam inferiorem desinunt, adurantur, & extremitate adustâ in lignorum oleum illud immittantur, ut pinguedinem illam imbibant, in terram postea inserti nullam admittent amplius humiditatem, quæ aliàs facit, ut quotannis putrescentes eâ parte, quâ terræ inserti fuerunt, diminuendi sint. Accedit quod etiam vitibus, & lupulorum caulibus, quibus adjuncti sunt, pinguedinem suam communicent, atque ita ipsos lætiores & pinguiore reddant, duplex hoc pacto emolumentum afferentes: prius est, quod perticæ à putredine conservatæ quotannis breviores non evadant, sed diutius durent: Alterum quod vitium & lupulorum radices pinguedinem & alimentum ex perticarum extremitatibus attrahentes luxuriante incremento excrecant. Præterea perticarum extremitatibus illis longo tempore tandem in putredinem abeuntibus, olei tamen nulla fit jactura, sed idem emolumentum manet, cum putridæ illæ extremitates perticis ademptæ, ac proximè vitium, & lupulorum radices terræ insertæ, aliquot annorum spatio iisdem alimentum vaccino, aut equino fimeto longè melius suppeditare queant.

Pari modo hujus olei lignorum adjumento fortes, diurnæ, & stabiles sepes parari, aut vivis muris vineæ, pomaria, & lupulis consiti horti circumdari possent, quibus feræ, & fures hortos compilantes arceantur palorum ad sepes idoneorum extremitas inferior igni, ut nigresceret, imponenda,

nenda, atque ita calida oleo immergenda esset, ut illud probè imbiberet. Ex his terræ usitato more infertis septum aliquod conficiendum, ità ut continua serie arbuti germen, aut furculus inter duos palos medium locum occupet. Hi furculi, qui aliàs tardè nascentes pluribus annis opus habent, quibus in requisitam altitudinem exsurgant, radicibus ex oleo dicto pinguedinem & stercoreationem optimam nanciscentibus, dimidio temporis soliti spacio citius ad requisitam altitudinem nascendo perveniunt, ac crassa, fortis, ac viva sepes evadunt, antequam pali putredine corrumpantur. Porro nec à feris periculum imminet iis locis, in quibus ejusmodi pali oleo dicto imbuti terræ inditi sunt, quandoquidem omnes odores graviores feræ vitant, & graviter olentibus rebus appropinquare non audent.

Funibus ex stupâ, arborum corticibus, aut stramine contortis, & oleo dicto imbutis, si frugiferas arbores vinxeris, araneos, formicas, erucas, aliaquè ejusmodi insecta impedies, quo minus in eas prorepant, & ipsis damnum inferant, eò quod insecta ab ejusmodi oleis adeò calidis planè abhorreant.

Est adhuc alius, summâ cum utilitate, hujus acidi succi lignorum operâ, agrorum stercoreationem, & felicem seminum excrecentiam promovendi modus, non tantum ad macros arenas campos, quibus vaccarum fimus adhiberi potest, idoneus, verum etiam ad duros scopulos,
in

in quibus nec arenula , nec pulvisculus terræ ullus reperitur.

Quod hoc artificium describendo , & typis mandando toti terrarum Orbi patefaciam , non ideò fit , quod mundum maximis emolumentis ditare velim , quemadmodum macros arenarum campos acido lignorum succo stercoreandi modo describendo facere conatus sum. Hic solus scopus mihi propositus est , ut unusquisque videat , & animadvertat , quam multa mirabilia fruticum & lignorum , quæ ubique , maximâ copîâ reperiuntur , & nullum tamen commodum afferunt , nullique usui sunt , operâ effectui dari queant.

Quis fidem adhibiturus esset alicui dicenti , quod effecturus esset , ut in duro , & nudo aliquo scopulo sine ullius terræ aut fimi additione non solum frumentum , sed etiam omnis generis arbores , ac excellentes vites crescendo proveniant ? Equidem in mundo neminem fore credo , cui hoc verisimile fieri queat. Quantis cachinnis concuteretur Farnarrus cum toto suo consortio asinino ! Imò vehementiore suo ruditu asinino dictum tale exciperet , quam meum Miraculum Mundi excepit. Interim quia fieri potest , intermittere nequeo , quin artificium hoc divulgem , unicum hunc scopum petens , ut excæcati mundi oculis miracula divina subjiciantur. Cæterum fieri non potest , quin plurimis in locis adhuc emolumento futurum sit , iis præcipuè , in quibus

fluviorum ripas attingentibus vinum nascitur, qualia sunt, quæ *Mæno*, *Mosellæ*, *Nicro*, *Rheno*, *Danubio*, & aliis ejusmodi fluminibus adjacent, ubi crebrò montes grandes & scopulosi occurrunt, in quibus Solis calorem totâ die habentibus commodè vites plantari possent, si modo terra, & fimus eò deferri queant. Vites certè nullibi lubentius nascuntur, quàm in scopulis & cautibus, quarum rimis & virgultis inhærentibus suas radices insinuant, ut inde sibi alimentum attrahant, quod pauca aliæ plantæ facere solent. Quoniam autem plerumque apud ejusmodi scopulos lignorum multitudo insignis reperitur, operæ precium esset, ex ipsis succum exprimere, quo duri scopuli molliti in scobem redigerentur ad vitium sationem idoneam, quod hac operatione peragendum esset: quæ tamen non necessaria foret, nisi miraculorum Dei manifestandorum causâ, aut imperitis, quod talia fieri possint, demonstrandi gratiâ suscipiatur. In ejusmodi loco, in quo aliquis vites, aut arbores in scopulis & saxosis locis libenter nascentes, ut cerasos, prunos, mespylos, aliasque nucleos continentes fructus ferentes serere cupit, ab initio parvum foramen pugno magnitudine respondens, malleo aut alio instrumento acuto, & cæmentariis usitato incidendum est scopulo, ut aceto lignorum infuso repleatur. Repletum contegatur oportet, quò pluviam depellatur. Post aliquot dies videndum, an acetum scopulo se insinuave-

finuaverit , ut novum acetum foramini infundatur, & infusum, ut antea, lapide operiatur. Toties autem æstivo tempore labor hic iterandus, donec multum aceti scopulus absorbuerit , & spatium ulnam longum, latum , & profundum habuerit, quod ab aceto infuso emollitum malleo acuto facilè eruitur, ut foramen majus evadat. Hoc erutâ materiâ rursus opplendum, aceto lignorum replendum, lapidibus latis tegendum, ac tamdiu relinquendum est, donec omnis materia ità mollescat, ut digitis conteri possit. Autumnali verò tempore, postquam arbores folia sua amiserunt, aut verno, antequam foliis iterum vestiuntur, mense nimirum Martio vites aut arbores materiæ in foramine inferendæ, & radices earum ipsâ materiâ arctè pedibus inculcatâ probè operiendæ, ac cuncta affusione aquæ madefacienda, eventus verò Deo committendus est. Sic vites, atque arbores insertæ crescent, æquè ac si alii terræ stercoreatæ mandatæ fuissent. Ratio hæc est : Quia scopuli non ex arena compacti, sed ex lapidibus ad calcem faciendam idoneis constantes multum Salis petraë continent, ac similiter acidus lignorum succus ejusdem naturæ particeps est, hic scopulum corrodendo Sale petraë in lapide solvit, & liberat, ac eadem operâ suam acrimoniam corrosivam amittit, ità ut radicibus Vegetabilium non noceat sed stercorei vaccino similis, aut certè melior potius proficit, aut etiam easdem melius stercoret, & nutriat.

C 4

Si

Si igitur vitis aut arbor, dictâ ratione, scopulo inserta semel vernando germina sua protruserit, postea non emoritur, sed radices scopuli rimis se insinuantes nutrimentum suum quærunt. Singulis tamen annis hyberno tempore instante, quando folia deciderunt, aliquid acidi istius succi arboris aut vitis trunco affundendum, ut hyeme durante aliquam iterum lapidis portionem molliat, & radicibus stercorationis materiam novam suppeditet. Hoc pacto quotannis succi dicti affusio faciet, ut neque terrâ neque fimus addendus sit, quandoquidem ipse lapis à succo lignorum in terram & fimum mutatur.

Arcanum hoc, licet plurimis res impossibilis videri possit, verissimum tamen est, cujus periculum, qui voluerit, hoc pacto facili negotio facere potest. Curet sibi afferendum lapidem non arenâ constantem, sed ex iis, ex quibus calx viva conficitur, eumque soli expositum perfundat liquore lignorum acido; quem ubi lapis probe imbiberit, alium rursus infundat, laboremque toties iteret, donec lapis adeò mollis reddatur, ut digitis conteri possit. Huic tritæ materiæ, quod voluerit, semen mandet, quod perinde germen suum emittet, ac si terræ alicui bonum insitum fuisset. Causam modò diximus, nempe quia lapis in terram convertitur, proprium suum Salem petræ, atque ità propriam suam stercorationem secum habentem, ac prætereà lignorum succum in Salempetræ mutantem.

Qui

Qui me rectè intellexerit, & doctrinam meam sequutus, operationem summâ diligentîâ aggressus fuerit, quin sui voti compos futurus sit, nullum mihi dubium est. Sed lapide arenaceo rem tentaturus nihil efficiet. Ejusmodi enim lapides fale nutriente carent, ac omnem liquoris ex ligno solutionem respuunt, tantum abest, ut eum imbibant, coagulent, & in stercorentem falem mutant.

Sequenti quoque modo quis experietur, quod ex lapide, ex quo calx viva paratur, & lignorum succo Salpetræ naturalis fiat. Sumat ejusmodi lapidis nondum usti (jam enim ustos & stercoreare, & acetum in Salempetræ convertere quivis novit) aliquod frusta, quæ lignorum aceto immergat, & Solis aut alius alterius loci calidi calore exsiccet, laboreque sæpius iterato, tamdiu exerceat, donec planè mollita instar terræ conterantur. Ex hac materiâ contritâ Salem extrahat aquâ pluviâ quæ planè Salipetræ similis erit. Sic ex lapide fit terra: ex lapidis Sale & lignorum aceto Salpetræ, aut stercoreans Sal, æquè ac vaccinum, aut ovillum finum, omnium Vegetabilium stercorationi inserviens.

Eo fine tamen hæc non scripsimus, quasi omninò necessarium foret, ut scopuli lignorum liquoris adjumento vitibus conferantur. Propositum nostrum eò tantum tendit, ut succi lignorum efficacia maxima innotescat, quo nimirum pacto ipsius ope durissimæ etiam scopulis fertili-

tas conciliari possit , quod hætenus incognitum & inauditum mea diligens investigatio & inquisitio jam demum in lucem protraxit.

Nemini verò velim hoc absurdum & absonum videri, quod lignorum aceto tantas vires adscribam. Vulgare acetum idem facit, & durissimas cautes ac rupes emollit : Cur hoc lignorum succus acidus non faceret, qui vulgari illo viribus & acrimoniâ longe superior est? Memoriam proditum est; *Hannibalem* sibi & exercitui suo per *Alpes* transitum aceti scopulos emollientes beneficio aperuisse : quale acetum fuerit, Historiam tacent. Forsan *vini acetum* fuit. Si lignorum acetum habuisset, fortassis citius voti compos factus fuisset.

Arcanum hoc multa alia utilia hujus aceti ope inveniendi ansam proculdubio præbebit. Viam aperui : Veniat alius, qui plura inquirendo eam dilatet, ut eò citius perfectio aliqua acquiratur. Multa in Natura latitant, quæ ob segnitiam & inertiam nostram non inquisita humano generi maxima commoda denegant. Nullus tamen dubito, quin tempus producturum sit homines diligentes, & sedulos, qui sibi de hoc aceto prospecturi sint, ut multas ex ipso utilitates eruant. Impii Farnarri admonitio apud honestos, & prudentes homines locum non inveniet, neque remoram objiciet, sed ipsum cum affeclis suis magis ac magis toti mundo notum faciet, & rubore suffundet.

La-

Lapidum aliud genus reperitur, qui ut plurimum ad ædium structuram adhibentur, ac molles facile cæduntur, ita ut quadrati gradus, ac fenestrarum receptacula lapidea ex ipsis parentur. Colore albi, cinerei, & subrubri in calcem ignis ope redigi, aut etiam liquari recusant, nec lapidibus arenosis similes sunt, sed utriusque naturæ participes plurimum Salis petrae comprehendunt. Hunc neque in calcem redigendo, neque aquam affundendo ipsis extorseris, nisi prius singulari modo parati eum aquæ concefferint, quâ de re peculiarem Tractatum conscripsi, propediem, Deo dante, lucem visurum. Toti ejusmodi lapidum montes inveniuntur maximum Salis petrae Thesaurum recondentes, qui nemini hæctenus innotuit.

Hæc pauca de lignorum expressione, & ejusdem expressionis utilitate, tanquam munus aliquod divinum rusticis offerre volui.

Et quidem Patriæ meæ rusticis, quos cum radicibus magnæ alicujus arboris, arborem vero ipsam cum aliquo Imperatore, Rege, Principe aut Magnate, & tota ipsius aulâ, omnibusque ministris & aëclis comparo. Arbor enim omnem succum, quo ipsi ad crescendum opus est, ex radicibus extrahit, perinde ac Princeps aliquis tributum à suis subditis exigit. Radix multarum fibrarum tam majorum quam minorum ope succum ex profunditate terræ attrahit, ac ejusdem tanquam debiti vectigalis, aut tributi

trun-

truncum participem facit. Eum truncus inter ramos, & frondes, tanquam ministros suos distribuit. Si radix in terrâ bonum succum offendit, eum extractum lubens trunco impertit, qui bono & probo succo, nutritus pulchrè crescendo surgit, viret, latè ramos diffundit, ac suaves flores, & fructus edit, quibus aves in aëre, & bestiae in campis vitam sustentant. Si è contrario arbor in sterili & macilentâ terrâ steterit, & radici ejus commodâ & bonâ stercoreatione non succurratur, fieri non potest, ut radix totam arborem diutius nutriet, cui ob alimenti defectum moriendum est. Delapsa folia quidem ipsi ad sustentationem hybernâ sufficerent, ut verno tempore porrò frui posset succo, quem habere posset, si in bonâ & pingui terrâ moraretur. Radix arenosam & macilentam terram nacta, quæ toto anno arbori nutrimentum suppeditando, eam viridem & fertilem reddere debet, ac è contrario non invenit alimentum, quod attrahat, arbori debitum tributum amplius solvere non potest. Unde arbor summâ extremitate & cacumine exarescendi & emoriendi initium faciens, ac hoc anno horum, sequenti aliorum, & sic deinceps plurium ramorum jacturam faciens, tandem planè exarescit, & emoritur; quod non eveniret, si radici auxilium latum fuisset. Quoniam igitur totius arboris salus, ornatu, pulchritudo & præstantia à radice proficisci debent, omninò necessarium est, ut radici succurratur, & requi-

requisitum alimentum subministretur , si totam arborem viriditate & pulchritudine debitâ exornare debet. Quo omisso si tota arbor pessum iverit , culpa profectò radici non est imputanda , cum plura quam habebat , dare non potuerit. Par igitur est , ut radici succuratur , quo totum onus sustinere , & toti arbori nutrimentum necessarium impertire queat. Quamdiu radix arbori succum suppeditat , tamdiu etiam ab arbore defenditur. Utriusque verò salus in eo solo consistit , ut radicis cura geratur : Ideò mihi consultum visum fuit maximè necessaria præmittere , ac præstantissimæ , & pulcherrimæ arboris radicibus succurrere. Fieri enim non potest , ut radix propriæ salutis rationem habens truncum deferat , si modo ipsi aliquid boni suppetierit , quod trunco largiri queat. Cum igitur tanti momenti sit radix toti arbori nutrimentum pulchritudinem & præstantiam sufficiens , & tamen propriis viribus , sine hortulani diligentia singulari stercorationem & nutrimentum adjungentis auxilio , trunco parum conferens : Profectò etiam alicujus momenti erit industrii hortulani arboris radici stercorationem & alimentum largientis auxilium : Quod si arbor superfluâ suorum fructuum copia , pomi nimirum alicujus parvi objectione hortulano diligentiam suam non remuneratura esset , ingratißima profectò ingrati animi vitio se obnoxiam redderet. Bestiæ & feræ ipsæ omni ratione carentes , ne ingratae deprehen-

dan-

dantur, excrementa sua agris & pratis reddunt, ut novum pabulum ipsis suppetat. Radicem reficiendi, & recreandi causâ arbor singulis annis folia sua dejicit. Cur ergo irrationalibus animalibus & creaturis homo ingrator inveniretur?

Patriam nostram charissimam, *tanquam* maximam, potentissimam, & pulcherrimam *arborem* proximis annis procellæ horribiles vehementer concusserunt, excellentes fructus ejus decutientes & pessundantes, itâ ut pauci in arbore ipsâ, si illos excipias, quibus inter fortes ramos delitescantibus ventorum injuria nocere non potuit, relictî fuerint.

Noxias illas & frigidas tempestates sequuta est aura calidior suavem Solis calorem, & fertiles pluvias secum vehens. Hinc arbor mox recreata, pristinas vires recuperavit, ac meliores, & suaviores, quàm unquam antea, fructus edidit, quibus licet maximâ copiâ decussis adhuc adeò scatet, ut ferè tot fructus, quot viridia folia, in eâ conspiciantur.

Siquidem verò incerti sumus, an procella ejusmodi aspera arborem nostram denuo invasura, & damno affectura sit, cum in maximâ securitate versantibus sæpè calamitas proxima sit, & secundum vulgare proverbium, *cælo nil inconstantius esse soleat*: Nihil magis expetivi, quam ut arboris fructus in futurum tempus conservarentur. Eâ de causâ etiam, quo pacto illud fieri possit,

fit, demonstravi, parum tamen aut ferè nihil proficiens, cum Farneriani nebulones, ut patriæ nocerent, salubrem meam doctrinam & admonitionem ludibrio habuerint, & ea destruxerint, quæ ego haud exiguo labore ædificavi, & construxi. Ideò verendum, ne bonum consilium serius adhibeatur. Ideo docui ex superfluitate arboris magnæ, arefactis, nimirum ramis, feris & inutilibus arboribus, fructibus, & virgultis succisis succum exprimere, radicem pulchræ arboris eodem madefacere, atque ita ipsam in suo vigore & statu conservare, si fortè nova tempestas in pulchram nostram arborem, quò cam pessundet, impetum factura esset, quod Deus tamen clementer avertat: ut radix tamen nullo defectu laboraret, sed totam arborem novis & viridibus foliis, ac fructibus pulchris vestire posset. Posito verò casu, quod, ut speramus, tam noxiæ tempestates nos obruturæ non essent, arbori profecto nocere neutiquam potest, si radix stercoretur, & alatur. Quò enim pinguior radix fuerit, eò viridior & pulchrior erit arbor; & quò major fuerit arbor, eò plures aves aëris in eâ nidos construunt, & eò plura animalia campi tam minora quam majora sub eadem latebunt, domicilia habebunt, & nutriuntur.

Succum autem hunc sylvestrem magnæ arboris radici, in quâ ipsius salus posita est, hâc vice donare volui. Proximè futuro tempore sub hâc
pul-

pulchrâ arbore omnis generis herbas ferere , si mihi Deus vitam prorogaverit , constitui , ut aves in ipsâ arbore nidis suis insidentes , & animalia sub eâ commorantes commodius quàm hactenus sibi de alimentis prospicere queant.

Deus omnipotens ex misericordiâ & gratiâ faxit , ut huic *pulchræ arbori* à tempestatibus , procellis , fulmine , tonitru & grandine nullum damnum inferatur , aves in eâ concorditer & pacificè habitent , ac se mutuo ex nidis non expellant : Animalia item sub eâ commorantia , ut canes de osse pingui , inter se non digladientur , sed instar ovium quodvis suâ portione contentum , in quiete , concordiâ , & pace vivant.

Vasa circulatoria , in quibus ligni succus , & omnia salia aëris , & indefinentis motus ope animantur , & in salem petræ convertuntur , hac vice non divulgo , sed mihi & amicis reservo.

Interea excellens hæc ars non quiescet , aut inculta jacebit , sed multis in locis exercebitur. Cuicunque jam eadem opus fuerit , ille sciet , quid sibi faciendum sit. Eam enim proximi mei commodo impendere constitui , ne mecum in sepulchrum abiens oblivione sepeliatur.

Ità etiam apud me invenietur artificiosa mea inventio Sal commune paucarum horarum spatium ea ratione immutandi , ut Sali petræ in usu macilentos agros stercorendi planè similis sit ,
& ta-

& tamen ejus centenarius vix thalero constet. Singulare profecto in his ultimis temporibus donum Dei, quo in omnibus Mundi locis, summis & imis, divitibus & pauperibus maximum commodum conciliari potest. Etenim si ubique locorum vini, & frumenti cultura hujus artis ope utilior, & melior avaserit, fieri non potest, quin omnes homines inde commodum, & utilitatem percepturi, ac commodiore ac meliore vivendi ratione usuri sint.

Cum arte enim hac ita comparatum est, ut non solum omnes agri, sive jam fructus ediderint, sive etiam aliquandiu quieti à fructibus edendis cessaverint, ejus adjumento eò deducantur, ut singulis annis fructus suos proferant: Sed etiam sterilia loca, quæ fructus & fruges ferre semper recusarunt, fertilia, & ferendis fructibus ac frugibus idonea reddantur, adeò ut nullus in mundo locus, quantumvis maxime sterilis reperiatur, qui hoc medio fertilis reddi non possit.

Præterea hæc ars ideò etiam magni æstimanda est, quod in iis quoque locis agros stercorare liceat, in quibus nec pecudes nec pecora inveniantur, ac ea propter nec fœmus ad agros stercorandos suppetit: cum hætenus alius nullus quàm hic stercore vaccino & equino agros stercorandi modus innotuerit.

Sic etiam in locis, à domiciliis hominum longè remotis, quò fœmum deferri nequit, magno

D

hæc

hæc ars emolumento esse potest; præcipuè quando fimus difficulter comparatur, aut etiam magni constat, & magnis impensis in remota illa loca defertur, adeo ut eam ob causam coli nequeant, & inculta jacere coganur.

Incommodo huic occurritur inventione meâ non solum fimo vulgari minus caram stercorationem exhibente, sed etiam sumptus, qui ad deferendum in remotiora loca fimum requiruntur, minuente, cum dolium unum meo sale pinguefaciente repletum plus, quàm aliquot fimi vulgaris plaustra, efficere possit.

Hoc tamen hîc notandum, quando ager aliquis dicto Sale stercoratus frumento conferendus est, semen illud prius per noctem Sale illo in aqua soluto macerandum esse. Ita enim peculiari stercoratione præparatum celerius nascitur, quàm si sine præcunte aliquâ maceratione terræ mandaretur.

Consideratione accuratâ perpendatur, quando milites equos abstulerunt, curribus suis junctos eisdem cum rustici sudore, avexerunt, vacas, boves & oves devorarunt, ac totam regionem vastarunt, quo pacto vastatos agros stercoraturi, & restauraturi sint agricolæ, ut ab ipsis ad pristinam fertilitatem redeuntibus expetitos fructus repetant.

Pacis profectò tempore, equis & bobus ad terræ arationem, & fimi confectionem abundè suppetentibus nihilominus pecudum & pecorum

rum finis in pretio fuit, ita ut ejusdem copia nimia nunquam extiterit, ac ideo hæc mea Inventio, & munus à Dei largâ benignitate profectum emolumentum haud exiguum adferre queat. Unde multò majore commodo homines afficiet iis in locis, in quibus, Divino permisso locustæ omnia depastæ sunt. Nonne igitur munus Dei tam excellens, in ejusmodi temporibus, quæ paulatim appropinquant, gratissimum esse deberet?

Quicumque à *Farnarris*, & eorundem affecclis seductus, & deterritus, non maturè, ut providum patrem familiâs decet de necessariis rebus sibi prospexerit, eum suæ socordiæ nimis serò pœnitebit. Quò securior autem fuerit, eò magis decipietur.

Deus Omnipotens nobis omnibus gratiam suam largiatur, ut, temporali & caducâ securitate, tanquam fallaci laqueo Diaboli, vitatâ & omisâ, æternam, semper constantem, & perpetuam quæramus. Amen.

Admonitio.

Nemo velim ægrè ferat, quod hoc lignorum torcular, sive prælum rusticis & agricolis donaverim, interim in descriptione ejus succum lignorum etiam omnibus agris commendans, qui tamen cum agricultura nihil commune habent. Tacitus enim nullo modo hoc præterire

potui, quoniam agricolæ improbo suo labore occupati nonnunquam variis morbis corripuntur, & sæpè Medicos aut Pharmacopolas in promptu non habent, ac contrà expressione lignorum, facili negotio succum, & oleum adipisci possunt, quæ tam externo, quam interno usu ad plures morbos difficiles arcendos adhibeant. Ipso autem rusticorum, & agricolarum nomine non tam eos homines intelligo, qui ut plurimum exigui sunt ingenii, & libros legere nesciunt; quàm cæteros qui rura possidentes frumenti & vini culturæ operam dant, quales multi sunt, etiam haud parvæ notæ, & exigui ingenii, æquè in pagis ac in urbibus habitantes, qui non solum scripta multorum legunt, & cuncta mentis accuratâ lancè perpendunt; verum etiam ingenio, prudentiâ, & experienciâ ipsis *Doctoribus Graduatís* sæpius antecellunt. In horum gratiam hoc prælum conscripsi, & in lucem emisi. Nec est cur aliquem pudeat agriculturæ laborem suum insumere, cum agrorum cultus Deo longe gratior sit, quàm ulla alia negotiatio, eaque de causâ ab omnibus, in quibus aliquid duntaxat est ingenii, jure ac meritò laudibus extollatur. Imo omnes jure laudandi, qui agriculturæ vacando sibi de victu & amictu prospiciunt, ut Patriarchæ in Veteri Testamento, ac deinceps præcipuæ notæ homines in mundo soliti sunt facere, agrorum culturâ sibi quæcunque ad alendum corpus necessaria comparantes. Agriculturam

ram profecto Romani semper maximi fecerunt, ipseque Magistratus Romanus *L. Quintium Cincinnatum* ab aratro arcessitum ad Consulatum evexit, ut Romanæ Historiæ memoriæ prodiderunt. Fas itaque esset, ut hoc tempore viri seduli, & industrii, licet genere adeò nobili non prognati sint, otiosis & ignavis hominibus præponendi essent.

II. A R C A N U M

*Mercatoribus ditioribus donatum, ut
sine fœnore pecuniam & divitias suas
augere queant.*

QUanquam hoc arcanum, cum aliis, usum Salispetræ in Metallorum emendatione utilissimum, concernentibus in *Tertiam Prosperitatis Germaniæ Partem* conjicere statueram, ut ità Salempetræ ex abjectis, & tamen ubique se offerentibus rebus parandi, & ad usum è re uniuscujusque futurum adhibendi ansum præberem; Certis tamen de causis propositum meum mutavi, & *Prosperitatis Germaniæ* ulteriorem descriptionem aliquandiu differre consultius duxi. Cæterum perpendens, utiles Salempetræ conficiendi inventiones meas jam in usum adhibitas esse, & proculdubio homines repertum iri, qui ad longe meliorem usum, quàm ad pulveris pyrii

pyrii confectionem, Salempetræ translaturi sunt, intermittere non potui, quin hîc unicum bonum, & utilem ad metallorum emendationem Salempetræ usurpandi modum describerem, quem experiri unicuique integrum est, ac etiam audacter licet, quandoquidem ipsissimam veritatem scribo. Qui verborum meorum sensum assequutus, & metallicorum laborum aliquâ ratione peritus fuerit, labore suo non abutetur, sed fructum haud contemnendum ab eo repetet, itâ ut quietam domi vitam sine proximi incommodo transigendo pane suo quotidiano fruiturus sit. Si quis vero sibi persuadere vellet, tale opus sine labore & molestiâ peractum iri, ac grandes auri massas in utramvis aurem otiosè dormienti allaturum esse; nâ ille vehementer decipietur, manus aratro admovendas, & diligentiam adhibendam esse non considerans. Inveniuntur haud pauci sibi ipsis persuadentes, ditescendi rationem nullam aliam meliorem se ingredi posse, quàm si Alchimiam, pollicitis optimis divitem artem, susceperint. Verum enimverò, cum ars hæc insignem experientiam, & indefessam diligentiam requirat, & maxima hominum pars otiosè vivere, quam manus carbonibus immittere, & opus prudenter aggredi malit, ut plurimum evenire solet, ut pecuniæ avidi stulti à vero scopo aberrantes, falsis processibus, à circumforaneis illis processuum fallorum negotiatoribus, irretiantur. Si homines
 isti

isti naturæ vestigiis insisterent, facilè scopum attingerent, & commodum sibi acquirerent. Eum in finem sine ullius rei omissione sequentem operationem clarè & dilucidè admodum descriptam propono, firmiter affirmans, secundum doctrinam meam descriptam operaturo eventum feliciter, & ex voto responsurum esse. Qui errando opus corruperit, sibi ipsi, & inscitiae suæ, non autem mihi, errorem suum imputet, necesse est. Cuncta enim, ut diximus, hîc præscripta secundum literam intelligenda sunt, & etiam imitatione facili perfici possunt.

Operationis Modus.

℞. **A**Uri unam, Cupri duas, & Reguli Martis tres partes, quas omnes in crucibulo bono & probè operto colliquatis, circumspicte admodum cavendo, ne prunæ in crucibulum incidant, & opus corrumpant. Omnibus colliquatis, & operculo remoto, ita tamen, ut prunæ, quod monuimus, nullæ in crucibulum delabantur, tantum benè siccati, & in pulverem redacti Salispetræ, quantum Cupri & Reguli in crucibulo fuerit, materiæ liquatæ in crucibulo injice, ac crucibulum eadem, quam commendavimus, præcautione operculo suo tege, prunisque ità crucibulum circunda, ut ipsi operculo non incumbant, sed hujus extremitas eò commodius forcipe aliquantum sublevari, ac

D 4

massa

massa in crucibulo inspicere possit. Si enim ignis nimis magnus esset, Salpetræ ebulliens ex crucibulo erumperet, ac damnum afferret. Facile autem hoc evenire solet, quandoquidem Salpetræ Regulum & Cuprum operatione suâ aggrediens, ebullit, intumescit, & se extollit. Unde necessitas postulat, ut hic labor in ejusmodi fornace expediatur, qualis in 4. Furnorum meorum libro descriptus est, januas suas nimirum habens, quibus ignis regi potest, ut fortior, aut debilior reddatur.

Postquam igitur Salpetræ Regulum & Cuprum in subrubras scorias conversa imbiberit, quod ferè quadrantis, aut dimidiæ horæ spatio fieri solet, inferiore ostio aperto, superius clauditur, ut ignis validior evadens scorias liquefaciat, quò aquæ instar fluant. Si operculo parum sublato scorias dictas instar aquæ fluere videris, crassioribus & majoribus prunis circà superiorem crucibuli partem exemptis, operculum quoque removebis, crucibulumque ipsum firmiter forcipe arreptum ex fornace eximes, ut liquefactam materiam in receptaculum probè cerâ oblitum, & calefactum infundas, in cujus refrigeratæ imâ parte se offert auri puri puti Regulus, qui à decussis scoriis liberatus, eo pondere gravior, & auctior erit, quod ex Cupro & Regulo Martis attraxerit. Et hoc erit quinquagesima pars ponderis, quod aurum habuit. Scoriæ subrubræ igneo suo sapore linguam ferientes Salem petræ, & Cuprum ac
Regu-

Regulum in scorias redacta continent, quæ si à Salepetræ separare volueris, mox ubi regulum decusseris, in crucibulum, post effusam materiam, in fornacem repositum remittes, carbonem materiæ in crucibulum injectæ impones, crucibulum probè opertum carbonibus circumdabis, ac eos incendes, ut materia in crucibulo per quadrantem horæ partem strenuè fluat. In hac operatione carbo, aut carbones impositi metalla, nempe Cuprum & Regulum Antimonii præcipitando à Salepetræ separant, ut Cuprum cum Regulo mistum in Regulum subsideat, & Salpetræ fixus separetur, ac ipsi Regulo insideat, à quo refrigeratus decutiendo removeri potest. Si operatione ritè defunctus fuerit, ferè omne Cuprum, & omnem Regulum recuperabis: Ipsi verò Salpetræ parum etiam decessit, qui aliam naturam induit, fixus evasit, ac Salis Tartari viribus respondet. NB. quia Scorix illæ non adeo perfectè per carbones à Salepetræ removeri possunt, quin hic Cupri, & Reguli semper aliquid secum retineat, quod carbones præcipitare non potuerunt, in calido aliquo loco, ne humiditate dissolvantur, conservari possunt, ut, si copiam earum collegeris, prunis sive carbonibus candentibus per fusionem reductæ metalla sua reddant; qua de re inferius plura dicentur.

Hic labor licet rudium & imperitorum captui non conveniat, factu tamen facilis est omnibus iis, qui aliquam, saltem metalla fundendi cogni-

D 5 tionem

tionem habent. Operandi modos, qui omnes tam accuratè tradi non possunt, ut mox quivis imperitus eos intelligendi capax reddatur, sciat oportet; qui hunc laborem suscipere cogitat. Veritatem scribo, & quidem adeò aperte, ut apertius scribere nequeam. Qui, quæ scribo, intellexerit, lætitiâ, & emolumento afficietur. Qui non intellexerit, si à præscripta mea doctrina aberrando sibi ipsi damnum intulerit, sibi illud imputet, & in me culpam non transferat. Non tyronibus, & laborum igne peragendorum imperitis scribo, sed iis tantum, qui aliqua cognitione præditi metalla liquefaciendo rite tractare norunt. Quæret hîc aliquis, utrum hoc Auri augmentum ex Cupro, an verò ex Antimonii Regulo oriatur? Respondeo: Ab utroque Cupro tamen magis quàm Regulo. Nullum enim Cuprum, aut Antimonium reperitur, ex quo prædicto modo aurum non eliciatur, cum utraque, aurum invisibile & spirituale, unum tamen plus altero, in se contineant, & cum auro fusa ipsi hoc allicienti & attrahenti concedant. Quotiescunque igitur Cuprum, & Antimonii Regulus ac Salpetræ cum auro colliquantur, & ab eodem rursus separantur, toties auro augmentum accedit, adeò ut labor hic singulis diebus octies aut decies repetitus haud contemnendo incremento aurum aucturus, &, præter omnes impensas quotidie infumendas, unius ex centum florenis lucrum redditurus esset. Lucrum certe iis, qui pecuniam

pecuniam in fœnore ponere cupiunt, longè honestius & tutius, quam si fœnoris causa aliis nummos suos credendo, sortem cum usura periculo exponerent.

Verum enim vero cum labor hic crucibulis perficiendus, sicuti etiam grandioribus crucibulis perfici deberet, si lucrum aliquod expectandum esset, molestia & difficultate neutiquam careat, ac præterea eodem vix quater, aut quinques quis diebus singulis defuncturus sit, si grandiora crucibula adhibere vellet; ut non dicam, quod ex parvorum crucibulorum usu, licet decies, aut undecies quotidie adhibeantur, exiguum admodum lucellum prodeat: Apponam hic modum omnia crucibula remonentem, & in eorum locum focos reponentem, qui neque exundando materiam liquatam effundunt, neque rumpendæ, aut rimis dehiscendo eandem dimittunt, ut crucibula faciunt, sed in furno aut fornace semper manentes omnem impositionis, & exemptionis molestiam respuunt. Crucibulum enim, quantumvis bonum, quod sæpius exemptum aëri frigido exponitur, & ex aëre frigido iterum in subitum, & fervercentem calorem transfertur, facili admodum negotio rumpi solet. Ex quibus omnibus patet, quantis molestiis & periculis obnoxius sit hic labor majoribus crucibulis utens, quibus ruptis, materia liquata effluit, & auri quantulacunque jactura omne lucrum speratum aufert, adeo ut hic majoribus crucibulis

cibulis abstinendum sit, quamvis labor ipse magnum commodum allaturus esset. Foci autem boni & fortes ad hunc laborem perficiendum sine omni periculo adhibentur. Tamdiu enim in Fornace relinquuntur, quamdiu boni sunt, massaque ipsa liquata non effluit. Si hunc modum operandi per focos non invenissem, operationem ipsam quoque non divulgassem. Est autem talis, ut sequitur.

Focos parandi Modus.

CONFICIENDUS datur circulus aut annulus ferreus quadratus, aut rotundus, unum digitum crassus, quatuor altus, uno, quam altero latere aliquanto angustior, interiore superficie probè lævigatus, ac duas ansas habens, cujus magnitudinem & spatium materiæ quotidianis laboribus tractandæ quantitas tibi definiet. Focum paraturus lævi alicui lapidi annulum tuum impones, ipsique lapidi probè incumbenti, terram tuam ritè apparatus ità immittes, ut annuli superficiem superiorem parum superet. Hanc malleo ferreo latam extremitatem alteram habente fortiter, & firmiter in annulum istum ferreum impinges, ictus validos multoties repetendo, ac reliquam terram annuli superficiem superantem cultro abscindes, ut annuli superficiem exæquetur. Exæquatam cum annulo auferes, lapidis superficiem tenui arenâ, aut potius crucibulorum

lorum contusorum pulvere tenuissimo constra-
tæ cum annulo inversam impones, ac alterum
latus, quod lapidi incubuerat, eodem pacto for-
titer compinges, ità ut utrumque terræ latus for-
mæ, seu annulo isti fortiter impactum maneat.
Hac ratione parato foco, latus majus cultro cur-
vo duo manubria habente ità excavandum est,
ut à superficie annuli usque ad medium declivi
rotunditate se inclinans in medio digiti ferè cras-
sitiem, & ad annuli superficiem ejusdem crassi-
tiei spacium retineat, atque ita patinæ alicui ro-
tundam aut Sphæricam cavitatem habenti simi-
lis evadat. Tales foci, sive testæ cineritiæ auro
vel argento ad puritatem deducendis inservien-
tes in fodinis metallicis, ac officinis monetariis
parari solent. Tandem excavata illa rotunditas
lævi & rotundo malleo ubique læviganda, &
post lævigationem totus focus cum annulo in-
versus lævi asseri, sine agitatione forti, impo-
nendus est; Si interior annuli superficies oleo
oblita fuerit, facilius annulus ab ipso abstrahetur
foco, qui calido aëri expositus paulatim exsicca-
tur, tandem aut planè soli ipsi exponendus, aut
calidæ fornaci imponendus, ut omni humiditate
ablatâ requisitam siccitatem consequatur, ante-
quam, ut igne induretur, in furnum reponitur.
Nisi enim probè siccatus fuerit, in furno rimis
dehiscet, & ad hunc laborem planè inutilis
erit.

Foco exempto, & reposito annuli superficies
interior

interior iterum oleo aut pinguedine aliqua oblinendus est, at rursus alius focus, conficiatur, quorum tot parari possunt, quot vel necessitas postulat, vel terræ paratæ copia permittit. Terra, quam excavatio reliquam facit, eodem pacto, dum adhuc humida est, annulo impacta, & parata focos eisdem suppeditat, adeò ut nulla planè terra pereat. Imò etiam terra ista inservit conficiendis operculis, illis arcuatis, quibus focì teguntur, ut carbones nulli in materiam impositam & liquatam incidant. NB. Duobus malleis non opus est, cum unus sufficiat, una extremitate manum transversam latus, ac lævus, ac alterâ rotundus, ut addita imago monstrat.


*Ratio conficiendi focorum Opercula,
quæ Muffel vocantur.*


PRIMO forma ex ligno paranda foco magnitudine respondens, sed non uno manubrio, ut illæ, quæ ad conficienda opercula focorum, in quibus argentum purum redditur, adhiberi solent, verum duobus collis oblongis, ac sine rimis, aut crenis, quæ aliàs incidi solent, ut operculum ità integrum maneat. Deinde huic formæ lignæ terra applicanda, & usitato more operculum fingendum est.

De



A Ist der Ofen wie er in der arbeit stehet. C Ist das obertheil des Ofens
 B Ist der Untertheil des Ofens wie er D. Der roßt in dem Ofen. E. der Herd.
 offen ohne die vorder wand anzu sehen. F. der Müffel so auff den herd gehöret. G. der Deckel dar mit der Ofen oben gedeckert wird
 wann kohlen dar in sein und in voller arbeit
 stehet. H. das rauch fängelein an dem Ofen.





De Fornacis, aut Furni figura.

Fornax ità est struenda, ut intus spacium tale obtineat, in quo ubique circumcirca focum in medio consistentem, inter ipsius extremitates, & Fornacis parietes internos pro carbonibus transversæ manus intervallum ad minimum restet. Ea propter foci magnitudo, fornacis magnitudinem metitur. Perinde autem est, sive rotunda, sive quadrata fuerit, modo bonis lateribus, aut lapidibus idoneis, & luto, aut terra ritè parata construatur. Spithama ad minimum interesse debet inter fundum & craticulam, quam etiam in fornace firmam esse non oportet, ut quatuor pedibus insistens, per antèrius fornacis latus semper apertum, immitti, & extrahi possit, quandocunque necessitas id postulat. A craticulâ adhuc Spithamæ altitudine exsurget Fornax, undique structurâ conclusa, & nullibi januis patens. Supra hanc Spithamæ altitudinem relinquendum est foramen manum transversam latum, & altum, per quod focus inspicì, & metalla commixta imponi, & eximi, ignisque transitum suum habere queat. NB. Si autem focus latitudine sua Spithamam transversam superaret, ac ideò ipsa Fornax major quoque esset, tùm foramen illud nimis parvum, igni transitum debitum, & sufficientem negaret; cui difficultati ut occurratur, proportionis debitæ habitâ ratione
& illud

& illud foramen majore spacio amplificetur necesse est. Ab hoc foramine ventilatione suâ ignem nutriente, altitudine duarum Spithamarum adhuc usque ad summum foramen Fornacis per quod carbones injiciendi, structura ejus ascendat. Porro ferreum conficietur operculum, concavâ superficie clavis ferreis infixis, quibus lutum obductum inhæreat, scatens, & convexâ sive superiori, ansa aut manubrio munitum, quo prehendatur, quando foramen injiciendorum carbonum causa aperiendum, & post injectos carbones iterum claudendum est. Laborem exorsurus cratem primo immittes, ipsique pedem aut fulcrum ex luto firmo factum, huic vero focum paratum, focoque operculum, cui *Muffel* nomen est, impones. Hujus anterius collum anterius foramen, & posterius posteriorem Fornacis partem attingere debet. Ipse pes quoque focum fulciens, collo, quod ipsum habere oportet, priorem etiam Fornacis partem tangere debet, ut spatium inter focum & Fornacis parietem intercedens probè claudat. Si etiam operculi, sive *Muffelæ* collum, fundi collum, & parietem anteriorem attingendo non satis arctè clauderet, juncturæ istæ luto pilis mixto opplendæ, & occludendæ sunt, ne igni per illas exitus pateat, cui alius transitus quam per operculi dicti posterius collum, & sub ipso operculo in focum, & ex foco per anterius collum non est concedendus. Si ignis alium transitum, præter dictum, & quidem

dem per antèrius collum, nactus fuerit, metallo non suppetet fervor, qui illud liquefaciat. Ideò hujus rei, tanquam potissimum totius fornacis construendæ artificium concernentis, etiam potissima ratio habenda est, ut Fornax debitâ proportionè & formâ erigatur. Sub crate ferreum Fornaci aptandum ostium regens ignem, qui ejus ope augeantur, aut minuatur, prout necessitas jusserit. Cæterum foramen alterum in superiore & anteriore Fornacis parte igni transitum præbens, per quod metalla foco imponuntur & eximuntur, ostio quoque muniri vult, ut, necessitate requirente, ignis regatur, & si nimius fuerit, cohibeatur. Eidem caminus parvus aptandus, qui metallorum & carbonum fumum admodum noxium excipiat & emittat, ne operatori damnum inferatur. Omnibus his ritè paratis, Fornax probè siccata carbonibus implenda, & operculo contegenda, prunaque unâ & altera craticulæ insertâ, januæ claudendæ sunt, ut ignis paulatim accendatur, atque ita periculum caveatur, quod aliàs foco, & operculo, quo tegitur, ab ignis subito impetu imminet, cum facilè rumpi soleant. Fornace, foco, ac operculo focario probè candentibus, cochleari ferreo metalla, nimirum aurum, cui augmentum accedere debet, & cuprum atque Regulus Antimonii, ex quibus auro augmentum petendum, foco immittentur, inferior magna, & media janua parva aperientur, ut ignis viribus acquisitis metalla confestim in

E foco

foco liquefaciat, quibus ritè liquefactis cochleari ferreo parum Salis petræ in pulverem siccum redacti injiciendum, qui mox materiæ istius liquidæ portionem in scorias mutabit. Eodem non amplius fluente, & ab operatione in metalla definente, ac instar scoriæ ipsis incumbente, alia Salis petræ portiuncula materiæ, seu metallis liquidis cochleari iterum injicienda est, quæ rursus partem ipsorum in scorias mutabit. Hæc Salis petræ injectio tamdiu continuanda est, donec scoriæ non amplius duræ fuerint, sed instar aquæ liquidæ maneant: id quod indicium est, Salem petræ Cuprum, & Regulum Antimonii ab auro abstraxisse, & operatione suâ defunctum esse. Tantum autem Cupri & Reguli Antimonii foco imponendum non est, ut hic, ubi debita Salis petræ portio adjecta fuerit, usque ad summum marginem impleatur, & carbones in vacuo foco frustra comburantur, quod probè notandum. Scoriæ fluidæ ex Sale petræ, Cupro, & Regulo Antimonii tamdiu suprâ Aurum in fluxu conservandæ sunt, quam diu focus illud tolerare posse visus fuerit. Nam quò diutius aurum sub his scoriis in fluxu suo manserit, eo plus auri spiritualis ex ipsis attrahet, & corporale reddet: atque ità eò majore augmento locupletabitur. Majoris certitudinis tamen causâ Scoriæ, postquam decem, aut duodecim horarum fluxu Auro incubuerint, ex foco eximi possunt, ut hoc inspiciendo animadvertatur, an adhuc satis fortis, par esse possit diutius

diutius sustinendis scoriis , quæ in diuturniore fluxu consistentes focum attenuare , & foraminibus perforare solent , præsertim si ex terra bona , & ignis patiente paratus non fuerit. Si igitur fœcum adhuc satis fortem , ac crassum , & foraminibus non perforatum deprehenderis , scorias auro in foco jacenti iterum adjunges, easque tamdiu in fluxu conservabis , quamdiu focum huic operationi sufficere posse putaveris. Scoriis quoque in fluxu se condensantibus , ac difficilius fluentibus aliquid Salis petræ recentis injicias oportet , quo ad magis tenuem fluxum reductæ eò facilius alimenti , & augmenti particeps reddant Aurum, quod in hac operatione seminis locum obtinet , sicut Cuprum & Antimonii Regulus terræ vices obeunt, Auro alimentum , & augmentum suppeditando ; In pluvix locum succedit Salpetræ , qui terram humectat , & fertilem reddit. Quò diutius igitur Aurum in hac terra jacet & crescit , eò plus augmenti crescendo acquirit. Posteaquam verò focus igni tolerando non amplius par fuerit , aut ab ipso opere cessare volueris, inferiorem januam aperi , & operculum à supremo foramine remove , ut ignis fervor à foco recedens per foramen illud ex fornace discedat , atque ità scorix crassiores evadant , aurumque sub ipsis dure scat. Scorias unco ferrèò sensim ab auro abstrahere , ut hoc integrum , & in unam massam compactum in foco remaneat , & granorum instar scoriis non misceatur , ac detri-

E 2

mentum

mentum afferat. Omnibus scoriis exemptis, aurum ferro in cuspidem acutam desinente, & ipsi jacenti submisso liberandum est à foco, ac forcipe eximendum, & ponderandum, ut, quid augmenti ipsi accesserit, deprehendatur.

NB. Quamdiu vigorem suum focus conservaverit, satius erit, ut massa non eximatur, sed in continuo fluxu supra Aurum relinquatur. Labor improbus non est, quandoquidem, prioribus carbonibus consumptis alii solummodo submittendi, ita ut hæc operatio, si modo foci probe confecti fuerint, aliquot dies sine intermissione continuari queat, quod etiam fieri debet, si emolumentum aliquod sperandum sit. Emolumentum, inquam, de quo neutiquam dubitandum, si operatio rectè instituta fuerit. Præcipuè verò si bonum Antimonium, & ferrum bonum, ex quibus Antimonii Regulus conficiendus, suppetant. Nam quò plus Auri ferrum, Antimonium & Cuprum continuerint, eò plus Auri volatilis Aurum fixum, & sub istis liquatum ad se trahet. Si autem istorum metallorum Auro plenorum penuriâ laboraveris, & vulgaribus contentus esse coactus fueris, nihilominus operatione tuâ augmentum nancisceris. Interea tamen meliora metalla nactus, etiam quæstuosiore operatione majus lucrum acquires. NB. Ubi metalla Aurum continentia in promptu fuerint, non opus est, ut primæ scorix in tam diuturno supra Aurum fluxu conserventur, cum mox, postquam

quam à Salepetræ Cuprum, & Regulus Antimonii subacta fuerint, unco ferreo removeri ab Auro, & mox nova metalla submitti, & per Salempetræ in scorias redigi possint. Labor hic scoriis detractis nova metalla submittendo iteratus & continuatus longè majus augmentum Auro collaturus esset, quoniam Cuprum, Ferrum, & Antimonium quandoque multum Auri corporalis recondunt, quod in metallorum illorum in scorias reductione mox se Auro associat. Quando igitur scorix detrahuntur, ac sæpius nova metalla in scorias redigenda subjunguntur, fieri non potest, quin Auri major copia se offerat, quam ex primis scoriis prodeat, in quibus solummodo Aurum illud Spirituale ab Auro fixo addito corporeum redditur. Novorum metallorum additio, & scoriarum abstractio quotidie decies, quindecies, imò & vigesies iterata magnum Auro incrementum adjungat necesse est, si metalla aurum spirituale & corporale comprehendant.

Scorix abstractæ in Fornacis ejusdem foco (quorum plures in promptu esse debent) reduci, ac Cuprum cum Regulo ex ipsis præcipitari, & ad usus alios, quorum cætera mea scripta passim meminerunt, adhiberi possunt. Præcipitantur autem injectione pulveris carbonum, aut Antimonii. Ratio præcipitationis hæc est: Salpetræ sulphurea metalla Cuprum puta, & Regulum Antimonii Martialem absorbit, ac in scorias

E 3

muta-

mutavit. His scoriis si aliud aliquod Sulphur injiciatur, quod Salpetræ magis appetit, quam Cuprum & Regulum Antimonii, his, quæ prius arripuerat, dimissis, ac ideò fundum petentibus, illud arripit. Tàm purè autem Regulus & Cuprum præcipitando separari non possunt, quin aliquid ex ipsis adhuc Salipetræ adhæreat. Unà hæc figi possunt, ut in fusione rursus aurum reddant, aut fixum Nitrum ex scoriis aqua pluvia extrahitur, aliis postea laboribus adhibendum, ut in sequentibus docebitur. Residuæ scorix usui quoque adhuc esse possunt figulis, quibus ad vasa sua figulina vitro obducenda inservient. Verum enim verò si scorix & Salpetræ non separantur, sed unà relinquuntur, sive figantur, sive ad Salispetræ confectionem, aut agrorum stercorationem, de qua mox dicetur, usurpentur, plus tamen commodi afferent, quam si à se invicem segregentur. Modi hæc faciendi, quisque ordine suo, describentur. Prius tamen Probam exhibere consultum mihi visum fuit, ut unicuique innotescat rei hujus certitudo, quod videlicet non solum labor hic utilitatis non contemnendæ operatores participes reddat, sed etiam verissimum, & certissimum Auro incrementum accedat. Ut etiam eo audacius, & confidentius suscipiatur hoc opus magnâ operatione instituendum, Proba & experimentum, quo Auro incrementum ex Cupro & Regulo Antimonii accedere demonstro, sic se habet.

Accipe

Accipe frustulum Argenti auro suo per aquam fortem orbatum , ut ita nihil amplius auri inesse ipsi certo scias ; cui tantum Cupri, & Reguli Antimonialis in fusione adjunges , ac utrumque iterum per Salem petræ in scorias redactum ab eo separabis , ut Argentum malleabile aut ductile remaneat. Hoc in aqua forti solutum instar pulveris subrubri aurum , quod ex Cupro , & Antimonii Regulo sibi attraxit , in fundo non solum relinquet. Quantum jam hujus Auri fuerit, tantum & non plus Auri corporalis Cuprum, & Regulus Antimonii continuerunt , quod Argentum absorbuit. Scoriæ nullum amplius Aurum corporale possident ; sed spiritali abundant , quod sequenti experimento comperies. Scorias illas novo crucibulo immixtas pauco carbonum pulvere tege , ac crucibulum Fornaculæ, cujus ignem ventus regit, impone, ut omnis materia liquecat : In liquatione hac Salpetræ, sive Nitrum mavult aggredi Sulphur illud in carbonibus , quàm in metallis , ac eidem se associans Cuprum ac Regulum Antimonii dimittit. Quo facto , massa liquata in receptaculum ferreum effunditur , & ab ea refrigerata decutiendo Regulus, qui in fundo subsedit, semovetur , qui erit idem Cuprum & Regulus Antimonii , quæ corporali suo Auro Argentum orbavit ; quod demonstro, ut sequitur.

Accipe frustulum Argenti cuncto suo Auro nudati , quod cum dicto Regulo per fusionem

E 4

con-

conjunges, & eodem, quo dictum est in antecedentibus, modo massam liquatam per Salem petrae in scorias rediges, ac ab ipsis in receptaculum effusis, & refrigeratis Argentum separabis. Hoc in aqua forti solutum nullum pulverem subrubrum, ut prius Argentum, in fundo relinquet. Unde luce meridianâ clarius patet, Cuprum, & Antimonii Regulum omne suum corporale Argentum priori Argento in fusione concessisse, quod tamen paucum nemini emolumento esse potest, nisi hoc labore cum novo Cupro & Regulo Antimonii multoties repetito majus lucrum acquiratur. Quoniam vero hæc iteratio Cupri & Reguli Antimonialis, ut & Salis petrae copiam haud exiguan, ut Argentum ad Auream naturam traducatur, requirere solet, ac prætereâ non unusquisque Cuprum, & Antimonii Regulum auro suo privata emolumento aliquo sibi utilia reddere, aut ad alios labores adhibere, novit, ipseque Salpetrae haud rarò pretio satis magno venditur, haud multum profectò commodi ex eodem hoc labore proficisci posset. Commodum tamen haud exiguum ii consequentur, qui post Auri extractionem metallis illis, Cupro puta, & Antimonii Regulo, ac Salepetrae uti noverint, quod in cæteris meis scriptis passim monstravi. Non tamen ità cum Argento, quam cum Auro, cum quo dicta metalla liquata, & in scorias à Salepetrae mutata, longè majus lucrum afferunt. Nam Argenti aliquid consumitur,

tur , ut ipsi aliquid decessisse deprehendatur : Auro nil deperit , si crucibula firma nihil de massa liquata effuderint , aut emiserint. NB. Si Argentum aliquem quæstum conferre deberet , Ferrum , Antimonium , & Cuprum Auro prægnantia conquirenda , & ab Argento sæpius abstrahenda , ipsaque metalla ad hunc laborem usurpata post usurpationem ad usum emolumentum afferentem transferenda essent , ut de Salepetræ non dicam , qui ab illis ipsis longè minoribus sumptibus conficiendus esset , quos emolumenti Argento consequendi desiderium teneret. Nos experimenta hæc in medium attulimus , ut demonstraremus , unumquodque Cuprum , ac quemvis Regulum Antimonii & Ferri aliquid Auri corporalis possidere , & in scorias redacta Auro , vel Argento adjuncto concedere ; Præter illud verò nihil amplius ipsis extorqueri posse , nisi in scorias per Nitrum redacta aliquandiu supra Aurum & Argentum , & quidem supra illud melius , quam supra hoc , in fluxu conserventur , ità ut indefinens Auro augmentum se insinuare posset , quod sequenti experimento parvo quilibet experietur.

℞. Cupri & Reguli Antimonii , quibus jam corporale suum Aurum ab alio Auro addito subtractum est , ut nullum amplius in ipsis residuum sit , quantillum vis , cum Auro liquefac , & Cuprum ac Regulum per Salempetræ , consueto modo , in scorias converte , quas per quinque ,

E 5

sex ,

sex, octo, aut decem horas in fluxu suprâ Aurum conservabis, ac cum Auro postea in receptaculum effundes, quod à scoriis separatum, & ponderatum pondere suo tibi monstrabit augmentum, quod sibi hac operatione adscivit. Augmentum hoc ex duplici illâ materiâ additâ, Cupro nimirum, & Regulo Antimonii Mart. profectum est; itâ tamen ut ex illo plus, quàm ex hoc accesserit, quod hoc experimentum docebit.
 ✕. Partem unam Argenti, quod omnis Auri expers est, & unam partem Reguli Antimon. Martialis, crucibuloque impositas Salispetræ adjuvamento, uti jam sæpius dictum est, in scorias redige, probèque, liquefactas effunde in receptaculum fusorium oblongum, ut in virgas tenues abeant; quæ ubi refrigeratæ fuerint, scorias malleo separabis ab Argento, quod purum, album, & facilimæ erit fusionis, sed Auri nihil omninò continebit. NB. Sed si Argento & Regulo Antimonii etiam Cuprum addideris, & materias easdem Salispetræ auxilio in scorias mutaveris, atque ita in scorias mutatas probèque fusas in receptaculum infuderis, itâ ut scoriæ tantum suprâ Argentum fluant, hoc idem Argentum malleo à scoriis suis separatum, vel aquâ macerando ab iis sejunctum ea parte, quæ scoriis fluidis tecta fuit penitus invenies deauratum, & quidem itâ deauratum, ut vix digitis elui queat, quod Aurum ex Cupro potissimum ipsi se adjunxit. Si enim ex Regulo plus Auri accessisset,

set, etiam Argentum eodem fufum necessario deauratum foret, quod tamen sine Cupri accessione fieri non solet. Hinc tamen non est, cur aliquis sibi forsan persuadere posset, se Regulo Antimonii omisso idem ex Cupro augmentum consequuturum esse, eo quod potissima Auri parsex Cupro proveniat. Nam sine Antimonii Regulo Cuprum se per Salempetræ in scorias redigi non patitur, atque ita necessario postulat, ut dicto modo omnes illæ materiæ conjungantur, si quid emolumenti acquirendum est.

Habes hîc, Benevole Lector, Specimina fati multa, quæ tibi ad rei certitudinem & veritatem explorandam sufficiunt: Cuivis jam integrum est majoribus & prolixioribus operationibus viam præscriptam suscipere & ingredi, ut lucri optati compos fiat. Eum in finem describere, & revelare eam volui, ut avaris illis Euclionibus & sceneratoribus, qui sanguifugarum instar succum & sanguinem miseris & pauperibus exsugunt, & tamen nunquam exsaturari solent, meliorem & honestiorem indicarem modum, & rationem cujus ope divitias & facultates suas, quibus animam, & salutem suam confidunt, augere queant. Etenim me non latet, quomodo jam cum hominibus non corde sed ore Christum profitentibus comparatum sit. Divites magis ac magis pecuniæ corradendæ, & accumulandæ inhiantes nihil pensi habent, num divitiis per fas aut nefas potiantur, cum tamen
illas

illas non ut proprias possideant, sed à Deo accipiant mutuo, quò ad debitum usum adhibeant, Dei nimirum gloriam, & proximi egeni commodum. Sed multò aliter, proh dolor, ævo hodierno evenire, imo & contrarium planè fieri videmus. Nam si tenacissimus aliquis Euclio hodiè magnam pecuniæ vim corrasit, ac nescit, quo pacto eam impendat, ut plures divitias eadem corradendo granaria & cellas distentet, Judæo alicui paratam suam pecuniam tradit, ut tanquam acuto cultro Christianos deglubat. Religioni profecto duceret Christiano alicui eandem concedere, ut quinque aut sex florenorum pro centenariâ sorte usurâ quotannis fruatur, cum inter Christianos usura major odiosa sit, & probro ducatur. Ideò majoris usuræ causâ Judæos accedit acerbo ejusmodi gladio miseros Christianos jugulantes & deglubentes. Etenim hi decem florenorum usuram pro Centenariâ ejusmodi sorte Euclioni isti solventes, eandem pecuniam iterum pauperi alicui & necessitate afflicto dare mutuo solent, ac duplam accipiunt usuram, viginti scilicet florenorum, quam à Christianis aliis poscere Euclio iste, Christianus non re sed nomine, postulare non audet. Ità pauperes Christiani falsorum Christianorum pecuniam à Judæis mutuo accipere & viginti florenorum usuram solvere coguntur. Atque hodierni Mundi mos hic apud Christianos hodiernos viget. Annon longe melius, & hone-

honestius facerent illi qui Auro & Argento cum-
 mulati, & eorundem augendorum avidi dictâ
 & præscriptâ ratione uterentur, cum opulen-
 tiam suam meliore conscientia augendo neque
 Deum, neque homines offensuri, nec ulli inju-
 riam facturi, sed potius honestum & legitimum
 exercitium habituri essent, quo sine ullius homi-
 nis molestia & incommodo sortem suam augere,
 & proximo suo egeno ac in angustis constituto
 opem à Christianâ dilectione injunctam ferre
 possent. Accedit quod hac ratione de sorte sua
 certi non cogantur eam periculo exponere, &
 vereri, ne ejusdem cum usura jacturam faciant,
 quandoquidem domi servant, & majus inde lu-
 crum acquirunt, quam si Judæis Christianos
 ejusmodi technis pessundantibus mutuo darent.
 Eâ de causa opus fuit, ut hanc operationem pu-
 blici juris facerem, si forsan reperirentur, qui-
 bus eandem effectui dare placeret. De commo-
 do & utilitate non est cur quis dubitet, siquidem
 de rei certitudine propositis experimentis peri-
 culum facere poterit, antequam operationem
 ipsam majorem aggrediatur. Materiarum paratu
 sunt faciles. Ungaria, & montes inter Bohe-
 miam & Misniam interpositi magnam Antimo-
 nii copiam sufficiunt; Cuprum ubique reperi-
 tur; Salispetræ ingens vis passim ex lignis para-
 ri potest; Carbonum quoque nulla est penuria:
 Nihil hîc nisi homines seduli & prudentes desi-
 derantur, qui operationem hanc effectui dare
 non

non recusent. Rerum mearum satagi, plura à me Deum non postulaturum spero. Quod toties dixi, repeto, & adhuc dico, quod hæc operatio vera sit, & maximam utilitatem afferat, modò rectè, & debito modo instituatur. Inter ea, quæ ad operationem requiruntur, Salpetræ primas tenet; Quem qui sine magnis sumptibus & impensis parare noverit, eum moneo, ut operationem audacter aggrediatur. Sin verò magno precio constiterit, nemini author sum, ut eam suscipiat, in quâ Salispetræ magna copia comburitur, & consumitur, è contrario verò Antimonii, & Cupri parva fit jactura. Potest autem hoc Auri augmentum optimè cum Vegetabili augmento comparari. Vegetabili aliquo semine si ager aliquis probè stercoreatus confertur, illud nutrit, & auget; Quodvis verò semen etiam illud attrahit, quod ipsius augmento, & nutrimento inservit; reliquum sibi inutile omittit. Idem etiam de Auri augmento hoc intelligendum est. Sicut enim terra omnis generis herbas spirituali modo occulit, & nihil corporale, visibile aut palpabile in lucem profert, nisi illud à semine, quod terræ inseritur, attrahatur, & hac ratione seminis naturâ, efficaciam, proprietate & viribus, occulta & spiritualis essentia visibilis, palpabilis, & corporalis reddatur. Prout semen igitur naturâ sua affectum fuerit, tale etiam corpus, ac non aliud producet. Sicut igitur augmentum hoc Vegetabile non ex
ipsâ

ipsâ terrâ, quæ per se mortua est, sed ex Sale, quem visceribus suis occultat, tanquam ex Subjecto & nutrimento universali prodit; Ità etiam in Metallis fieri solet. Omnia enim metalla spirituale Aurum occultant, quod commodius visibile & corporale reddi non potest, quam additione Auri Corporalis, quod Spirituale Aurum attractum in corpus redigit, ad quam tamen operationem Metalla omninò, ut terra in Vegetabilibus, per se mortua & inepta sunt, nisi per fimum mineralem, i.e. Salem-petræ, stercorentur, ac viva, & fertilia reddantur. Ex quibus omnibus iterum liquet, quod Salpetræ, augmentum, & nutrimentum illud Universale æquè in fimo Vegetabilia Terræ, quàm extra fimum metalla inferiora augeat & emendet: quod tamen posterius paucis innotuit, ac ideò etiam proculdubio paucis verisimile aut credibile videtur. Quicumque tamen ex his, quæ dicta sunt, nec discere, nec ipsis etiam fidem adhibere cupit, & potest, in eo docendo oleum & opera perditur, utpote cui inter fratres ignorantiae consensendum erit. Me clarâ satis, & apertâ descriptione Auri augmentum ex imperfectioribus metallis, Salispetræ adjumento erutum, in lucem emisisse arbitror. Qui capit, & intelligit, debitâ operatione eo labore defungetur. Qui nec capit, nec intelligit, eidem consultius est, ut labore ac temporis, & impensarum abusu supersedeat, & studium suum iis

re-

rebus impendat , quæ ipsius captum non superant.

Scoriarum tandem , quas hæc operatio reliquas facit , ne jactura aliqua fiat , indicare quoque me oportet , quem usum habeant , & quid commodi afferant. Animadvertendum est autem , pauciores , aut plures scorias superfuturas esse in hac operatione , prout ea exercebitur. Si bonum Antimonium , Cuprum , & Ferrum , quæ Corporale Aurum contineant , copiosè in promptu fuerint , ac Salispetræ copia suppetierit , etiam peculiari viâ proceditur , nec tanti fit nonnulla talium materiarum jactura , si non penitus & perfectè ad utilitatem revocata fuerint. Materiarum enim istarum , Reguli nempe Antimonii Martialis , Cupri Auro prægnantis , & Salispetræ si copia satis magna suppetat , in scorias redigendæ sunt suprâ Aurum fluitantes , ut Aurum suum Auro addito relinquunt. Fugacis autem , & Spiritualis Auri , quod continent nulla ratio habetur , sed cum scoriis sepositum quâcunque ratione fieri potest , ad emolumentum aliquod revocatur. Auro autem novum Cuprum , & novus Regulus apponitur , scoriarumque rursus ad usum alium seponuntur , adeò ut uno eodemque die labor ejusmodi novas materias adjungendo , & scorias toties removendo decies aut duodecies iterari queat. Unde fit , ut Aurum quavis vice insigni augmento locupletatum uno die plus Auri corporalis ex istis materiis

teris attrahat, quàm Spiritualis Auri quatuordecim diebus attraheret, si materiæ dictæ Spirituale tantum Aurum continerent. Sed ad eum laborem è contrario magna Reguli Antimonialis, Cupri, & Salispetræ copia requiritur, quæ si tolerabili pretio comparari nequeunt, labor majorum erit impensarum, quæ tamen non respiciendæ, cum Metalla, si Auro corporali prægnantia fuerint, sumptus & impensas abundanter sarcire possint, præcipuè si ex scoriis emolumentum acquiratur, quod mox ostendemus. Quod si verò dictarum materiarum copia defuerit, adeò ut ex vulgari Antimonio, & Cupro Aurum Spirituale tantummodo extrahendum foret, tot scorix faciendæ non essent, sed sufficeret, ut primæ scorix tamdiu in fluxu suprâ Aurum aut Argentum relinquerentur, quamdiu aliquid augmenti ipsis concesserint. Nullius verò alterius rei additio intereà requiretur, quam Salispetræ, cujus parum scoriis induratis injiciendum, ut magis fusiles reddantur, & fluxu suo Aurum tegant. Hinc labor tanti non constitutus esset, & non nisi major carbonum copia requiretur. Ipse autem labor etiam adeò molestus non foret, cum tantum duabus aut tribus horis inspiciatur oporteat, & ignis à puero aliquo regi possit. Fornax ipsa etiam si ita strueretur, ut instar pigri Heinzii (ut appellare solent) carbonibus semper allabentibus ignis nutriretur, noctes atque dies operatio sine ulla

F

in-

inſpectione exerceri poſſet , quæ etiam neceſſario ita fieri deberet , ſi debito modo exercenda eſſet. Metallis vero Aurum corporale continentibus ſi quis abundet , ac ideò poſt ſingulas operationes ſcorias remove , ac nova metalla imponere cogatur , majorem etiam curam , & inſpectionem adhibeat neceſſe eſt , quandoquidem ſingulis horis ſcoriarum detractio & novorum metallorum impositio fieri poteſt. In hujus Operationis inſtitutione igitur materiæ ad operandum ſuppeditantes reſpiciendæ ſunt , quæ naturæ ſuæ convenientem & conſentaneam operationem poſtulant , ut exſpectato commodo & lucro ſuum operatorem locupletent.

Porrò , nec Antimonio , nec Cupro aut Ferro , quæ Auro corporali abundant , in promptu exiſtentibus , ac ipſo ſolo Salepetræ abundanter & ſine magnis ſumptibus parato ſuppeditante , aliâ ratione operatio inſtituenda , & adminiſtranda eſſet. Nam poſtquam Regulus & Cuprum in fluxu ſuper Aurum per Salempetræ in ſcorias redacta ſunt , non detrahuntur , & removentur ab Auro , ut aliàs fieri ſolet , ſed Cuprum cum Regulo per pulverem carbonum ex Nitro præcipitatur , quâ in præcipitatione Aurum in ſcorias redactum metallum ad ſe recipit , ita ut ſolum Nitrum fixum removeri debeat , poſteà ad alios uſus denuo adhibendum. Cuprum autem & Regulus novi Salispetræ additione rurfus in ſcorias rediguntur , ac ex Salepetræ per pulverem carbonum

bonum præcipitantur, & ipse Salpetræ iterum removetur. Sic Cuprum & Regulus semper in fluxu apud Aurum in foco manent, & nil nisi adjectum Nitrum singulis vicibus sejungitur.

NB. Hic labor quidem tantum Auri non elicit, quantum ille, quo semper & singulis vicibus novo metalla Auro adduntur: Sed tamen illi operationi præstat, quæ in continuo fluxu Metalla supra Aurum conservat, & nova non addit. Nam quoties Cuprum cum Regulo à Nitro aduruntur, toties nitrum aliquid Sulphuris superflui ex Cupro & Regulo consumit, & comburit, quò plus autem Sulphuris combustibilis comburitur, & consumitur, eò plus Auri Spiritualis in ipso solvitur, ac Auro Corporali sibi adjuncto accedit, ut in ipso corpus assumat.

Atque hæc est differentia harum Operationum, ex quibus eam seligere quis poterit, quæ ipsi placuerit, aut potius quam materiæ ipsi concesserint, quas in promptu habebit. Quamcunque verò aggressus fuerit, commodo haud contemnendo afficietur, præcipue si Nitrum magno precio non constiterit, aut ipse exiguis sumptibus illud parare noverit.

Quo pacto ex Scoriis post hanc Operationem residuis emolumentum capiatur.

ARtis studiosus sciat oportet, inter scorias per sæpius dictas operationes ab Auro remotas discrimen esse. Illæ quæ ab Auro solo in foco remanente remotæ sunt, & in quibus Nitrum, Antimonium & Cuprum mixta manent, Metallicæ sunt, ex quibus Metalla, Cuprum puta & Regulus, per carbonum, aut Antimonii crudi injectionem præcipitari & separari possunt.

Scoriæ, ex quibus in foco metalla jam præcipitata & separata sunt, nihil aliud sunt, quam Nitrum fixum. Differunt quoque scorix, in quibus metalla per Antimonium præcipitata sunt ab illis, in quibus præcipitatio per carbonem facta est. Illæ pluris Sulphuris participes sunt, hæ paucioris. Nam Carbonum Sulphur naturâ suâ ab Antimonii Sulphure differt, & requirit, ut differentia observetur, & utræque scorix ad debitum usum adhibitæ etiam emolumentum speratum afferant. Discrimen autem hoc est. Quando Cuprum cum Martis Regulo adjectis carbonibus præcipitatur, tunc Cuprum cum Regulo Antimonii præcipitatur, ferrum autem, quod in Regulo fuit, præcipitationem
non

non admittit, sed in scoriis manet, unde fit, ut Reguli post præcipationem leviores comperiantur, quàm cum in crucibulum immissi sunt. Quicquid igitur præcipitato Regulo decedit, illud necessario in scoriis remanfit, ac eâ de causâ illæ scorix durioris & difficilioris sunt fluxus, & crassiores illis, quæ post præcipationem cum Antimonio residuæ sunt. Nam quando Antimonio injecto metalla præcipitantur, uni libræ scoriarum uncia una Antimonii plus minus, imò etiam plus, quandoque, injicitur, quod omne Cuprum & omnem Regulum à Nitro attractum præcipitat, & promptiorem scoriis fusionem conciliat. Nihil tamen est, quod accuratius & certius differentiam doceat, quam si scorix aquâ affusâ eluantur, & in lixivium redigantur. Scorix quibus carbones injecti sunt, clarius & acius reddunt lixivium, quàm illæ, quibus Antimonium injici solet. E contrario Antimoniales scorix propter Sulphur Antimoniale & combustibile ficcioris sunt naturæ & proprietatis.

Optimum in utrisque scoriis est Nitrum fixum, quod ex ipsis aquâ elici, & ad varios usus cum utilitate haud exiguâ adhiberi potest.

Primo ex his scoriis Spiritus vini affusione bona, & medicando apta Tinctura extrahitur, cujus in diversis Scriptorum meorum locis mentio jam facta hinc superfluum repetitionem non

requirit. Scoriæ ipsæ insigniter omnibus rebus crescentibus, seu Vegetabilibus medicantur, cum in eorum stercoreatione omni fimo, & ipso communi Salipetræ longè antecellant, temperandæ tamen prius, quia nimis igneæ existunt, si ita per se adhibeantur. Stercorant itaque & augment non solum Aurum, sed etiam purissimâ suâ essentiâ per Spiritum Vini extractâ humani corporis sanitatem, ac ipsorum Vegetabilium augmentum efficaciter promovent, id quod verissimum est. Celerius enim, & evidentius Auri augmentum, celeriore & evidentiore valetudinis humanæ conservationem, ut & ipsorum Vegetabilium crescentium promotionem nec vidi unquam, nec auditu percepi.

Haud injuriâ quis hisce scoriis *Philosophici fimi* nomen imposuerit, quia in Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus crescendi augmentum, & emendationis causa existunt, nec in ejusmodi operationibus ullum in mundo par, aut simile habent.

Ipsarum odor excrementa humana redolet, nec aspectu ipsis dispares sunt, usu vario tamen efficacissimæ.

Magni momenti multa in ipsis deprehendi & animadverti, quæ omnia ut describam, meum non est. Quis novit, quæ magna in ipso adhuc occulta jaceant, quæ me juxta cum plurimis adhuc latent. Illa, quæ hætenus scripsi, manibus meis sæpissimè tractavi, & plurimis experimen-

rimentis expertus sum. Non ea trado, quæ auditu ab alis hausi, aut in libris aliorum legi, cum firmiter statuerim, ea tantum in medium proferre, quæ ipsa experientia infallibilis me docuit, adeò ut unicuique audacter, & sine ulla dubitatione ipsis fidem adhibere liceat.

Aliàs Nitrum hoc fixum iisdem præditum est viribus, quibus & cætera lixivio fortia pollent: Efficacius tamen est quovis lixivio vulgari, eò quod Nitrum maturitate sua fixum salem lignorum superat. Reliquiæ scoriarum, ex quibus lixivium extractum est, vasis terreis vitro obdu-
cendis inservit.))

Si varius & plurimus harum scoriarum usus hîc mihi describendus foret, Tractatus hic præter institutum meum in grandem librum excreceret, imò peculiari libro grandi omnia conscribenda essent.

Quem plura de Nitro fixo cognoscendi lubido inceserit, Alteram Furnorum meorum, ut & Alteram Pharmacopœæ meæ Spagyricæ partem, præcipuè verò Explicationem Miraculi Mundi legat, ubi multa admiratione digna inveniet. De fimo Philosophico plura sciendi avidus consulat 35. articulum explicationis Miraculi Mundi in Apologiâ meâ contra Farnarri libellum famosum, & in hoc Tractatu descriptionem mei præli, quo lignorum succus exprimitur. In locis iis inveniet, quæ ipsi dilucidâ explicatione abundè satisficient. Lectori Benevo-

lo igitur unicâ hâc operatione offertur Medicina Vegetabilium, Animalium, & Mineralium defectibus perfectè medicans, pro cuius largitione Deo sufficientes gratias agere non possunt homines ditati admirabili, & incomparabili subjecto Universali, abjecto nimirum & contempto Salepetræ, de quo propediem sequuturâ alterâ Parte *Miraculi Mundi*, Deo dante, pluribus agemus.

Unicâ, inquam, operatione commodum promovetur Summorum, ut aurum suum augere discant, imorum, ut agris suis stercorendo fertilitatem concilient, & omnium hominum, ut valetudinem bonam conservent, adeò ut nemo sit futurus, in quem ex ea utilitas non sit redundatura.

Non possum hîc quin commemorem, quid mihi aliquando hanc operationem administranti usu venerit. Quando Cuprum & Regulus Antimonii Martialis fundendo commiscentur, ac Nitri adjumento in scorias rediguntur, materia inde existit mirabilis, quæ pulcherrimis obducta coloribus Iridem aut pavonis caudam æmulatur. Cum igitur eadem operatione aliquando occupatus colores tam varios conspexissem, mox in eas incidi cogitationes, an ea materia Tincturæ alicui conficiendæ, quæ per projectionem imperfectiora metalla in Aurum commutaret, non apta foret. Præcipuè cum apud plærosque Philosophorum legerim, quod Ferro & Cupro majorem, quàm Auro ipsi, tincturæ copiam attribuant,

buant, cogitandi occasio mihi oblata est, annon hæc conjunctio Martis, & Veneris adulterium à Poëtis decantatum, aut multo potius Philosophorum Vitriolum esset. Hæc enim materia pulcherrimam suam viriditatem non solum in igne, sed etiam extrà illum, æquè humida ac sicca conservat. Vnde mihi persuadere incepti, Ferrum esse Aurum Philosophorum, ac Cuprum eorundem Lunam; Antimonium vero Argenti vivi vices obire, ac Nitrum fungi Solventis aut Balnei munere, in quo solvantur, & digerantur. Harum rerum omnium consideratione motus, ut pro simplicitate meâ periculum facerem, materias omnes dictas vitro impositas Vulcano commisi, quo per gradus administrato, omnes unâ materiæ in nigrum colorem abierunt. Successit pulcherrima viriditas coloribus variegatis caudam pavonis referens, quæ per aliquot septimanas in igne continuo duravit. Cum autem omnino non mutaretur, tædio tandem affectus pulcherrimam materiam ex vitro exemptam, ac crucibulo impositam, ut eo minore labore hac operatione defungerer, furno vitriario imposui, ac post triduum rursus exemi, ipsamque materiam omnem in sanguinei coloris vitrum non tamen pellucidum commutatam deprehendi. Crucibulo fracto offendi parvum in fundo regulum colore ferreo, qui plumbo excoctus album reddidit Argentum, quod Aquâ forti solutum Auri nihil ad fundum demisit. In admirationem raptus cogi-

F 5

tare

tare cœpi, undenam illud Argentum provenisset, quandoquidem ego non Argentum, sed Aurum exspectaveram. Tandem causâ inventâ, in eam incidi opinionem, quod ex hoc Subjecto, uno eodemque labore, & rubra & alba tinctura confici possit. Rei tamen veritatem experimentis explorare, & plura investigare per tempus & occasionem mihi hætenus non licuit, forsan in posterum nihil eâ in re tentaturus. Quæcunque hîc scripsi, idèò tantum revelare volui, ut aliis quærendi cupidis materiam suppeditarem, in qua examinanda & perquirenda defudent, & cujus per investigatione aliquid boni consequantur.

Hoc in præsentia operæ pretium duxi monere eos, qui figendo, ut Chymici vocant, subjectum aliquod ad constantiam in igne deducere student, ut vasa sua probe muniant, ac claudant, & probe muniendo & claudendo caveant, ne aër, magnum operationis impedimentum, vel minimum aditum offendat.

Exempli causa: Carbo ligni maximam partem ex fugaci, & immaturo Sulphure paucis fecibus commixto constat. Crucibulo aperto immissus, ac parvo igni impositus mox comburitur, omnibusque consumptis nil nisi parum falsi cineris in crucibulo reliquum facit. Crucibulo autem probè clauso, & contrâ aërem munito maximo igni commissus, ac per multos annos in eo detentus necquicquam ponderis, coloris, & corporis sui perdet, ac niger carbo sine ullâ sui mutatione

tatione manebit. E contrario verò si debito pondere Mercurialis Sal aliquis carboni adjunctus, & cum eo unum tantummodo diem crucibulo inclusus, & in igne detentus fuerit, Carbo in rubrum, igneum, & gravem lapidem, magis metallicum, quàm Vegetabilem mutabitur, cujus admirabiles virtutes linguâ pronunciari non possunt. Cum igitur ex fugace & volatili aliquo Vegetabili tam brevi temporis spatio res fixa & constans ab arte effici queat, cur non multò melius eadem confici posset ex Minerali aut Metallo aliquo, quæ fixitati longè propiora sunt.

Ne homines superbi in malam partem interpretentur rogo, quod de tam abjectis rebus sermociner. Licet carbones manus denigrent, multum tamen boni ipsis inest, quod qui eruere norit, facile eodem manus suas postea rursus dealbabit.

Hæc Sermocinatio, licet de serico, holoserico, Auro, Argento, margaritis & lapidibus non loquatur, pluris tamen ducenda est, quam omnes totius Mundi facultates & opes caduæ, quoniam corporis humani salubritas ab eo dependet. Quid quæso commodi afferunt homini amplissimæ suæ facultates, & divitiæ, si corpore sano & morborum experto non fruitur. Corporis valetudo bona profecto omnibus thesauris præstat. Credant hoc avari, aut non credant, verum tamen est, & usque ad Mundi finem verum manebit.

Plures

Plures fore facilè mihi persuadeo , qui ægrè lat-
turi sint , quod non prolixiorē dissertationem
huic materiæ indulserim , sed adeò brevī explica-
tione eam expediverim. Hi sciant , porcis mar-
garitas non objiciendas esse. Sufficiat manudu-
ctio , quæ diligentibus satis superque monstrabit,
quid ipsis faciendum sit : Sat enim Sapienti. In
hominibus negligentibus & socordibus docen-
dis oleum & opera perditur. Nec hominis est
Naturæ secreta revelare , si Deo voluntas non
permiserit. Quem Deus favore suo complecti-
tur , ille plura dormiens , & somnians consequi-
tur , quàm alius laboriosis , & molestis suis stu-
diis sine Divino favore acquirit. Deus iis dona
sua largitur , quos iis dignos judicat. Rectè igitur
Apostolus ; *Non est* , inquit , *currentis* , aut
volentis , sed Dei misipientis. Rectè item Pro-
pheta David ; *Frustra manè surgitis* , & vesperti-
curis onerati vos cubitum confertis , ac panem
molestiis gravati editis. Quibus Deus est propi-
tius , iis vel per somnum dona sua largitur. Unus-
quisque , aliquid præstans & egregium nanci-
scendi desiderio inflammatus , non ab hominibus
sed à Deo illud impetrabit , ac ideò precibus pe-
tet. *Ora & labora* , ut vulgare proverbium præ-
cipit. Non tibi per ventos assa columba venit :
hæc primo capienda , post deplumanda , hinc
assanda , ac tandem edenda erit. Quamplurimi
sunt , qui otando & inertiam sectando ad magna
se perventuros arbitrantur ? Quid verò adipisci
soleant,

soleant, quotidiana docet experientia, videlicet, quod divitiæ, & bona ipsorum cum fumo per caminum evanescant; nec immeritò, cum istiusmodi homines à sola avaritia ad conquirendas divitias stimulentur, quibus acquisitis nonnisi omnis generis nequitias, & varia scelera patraturi essent. Ideo Deus capræ tam longam caudam non concessit, quàm vaccæ, utpote quâ tam longâ sibi ipsi oculos facilè excuteret.

Sic exhibui Benevolo Lectori in Nitri Sulphurati confectione docendâ veram Medicinam verumque augmentum Vegetabilium, Animalium, & Mineralium, quod tamen non velim, ut ità intelligatur, quasi ego hisce affirmare cupiam, nullam Vegetabilibus, & Animalibus Medicinam esse aliam, nec Auro augmentum aliud suppetere. Hoc enim astruere neutiquam cupio, quandoquidem hæc Medicina, si Vegetabilibus adhibenda esset, nimis magno precio constaret. Nec eum in finem hæc scribere mihi animus fuit, sed tantum, ut indicarem, Nitrum Sulphuratum summam Vegetabilium, Animalium, & Metallorum Medicinam esse, & Animalibus, ac Metallis vix meliorem subministrari posse. Quantum ad Vegetabilia attinet, ipsis putidum fimum vaccinum, ovillum, aut equinum sufficit. Nisi essent, qui mirabilibus Dei operibus se delectandi causâ rem tentare vellent, ac in Tinctura per Spiritum Vini ex Nitro Sulphurato extractâ macerarent alienius Vegetabilis semen, & in calido

lido hypocaufto ex isto semine macerato, herbam aliquam aliquot horarum spatio crescentem educerent, atque sic aliis, quibus ejusmodi Secreta ignota sunt, Magnalia Dei demonstrarent.

Cæterum ejusmodi tinctura in omnibus morbis humanis plus, quàm totum Pharmacopolum Galenicum, præstabit. Cui vero modus innotuit, cum Tinctura hac aliquod Aurum spirituale conjungendi, ut hoc ex illa per digestionem augmentum, & nutrimentum si adsiscat, sicut Vegetabile aliquod suum sibi nutrimentum ex terra arcessit, num Medicinam Universalem facile non esset consequuturus? *Universalis* debet & potest appellari, quia Vegetabilium, Animalium, & Metallorum summa Medicina existit. Qui hîc eam in opinionem se adduci patitur, quod eam Medicinam hic intellectam velim, cujus adjumento in fluxu Metalla imperfecta in Aurum mutantur, id quod Lapid Philosophorum acceptum ferri solet, ille hallucinatur. Tantorum enim Magnalium imperitus & rudis, parvorum largitione contentus sum, ac pro iis Divinæ gratiæ summas gratias ago, semper promptus & paratus eorum alios etiam participes reddendi. Ideo & hâc hyeme Universalem Medicinam Vegetabilibus inservientem ingenti copiâ parare statui, ut ejus beneficio ex mera arena frumentum nasci, atque hoc pacto utilissima hæc inventio infinitorum hominum commodo impendi

pendi possit : Eo tamen sensu, si ipsi operationem suscipere voluerint. Nam cum mihi mea propria negotia satis onerosa sint, pro aliis labores tales suscipere non possum, atque ideò sufficit, quod hujus operationis suscipiendæ, & ingrediendæ rationem, & viam ostenderim. Quicumque perfectum & absolutum operandi modum nosse desideraverit, cum apud me inveniet : Non tamen persuasum habeat velim, quod ad ejusmodi operationem agros, sive, ut dixi, arenam stercoreandam, & pinguefaciendum Nitrum nimio precio constans adhibere statuerim. Paucis enim horis Sal communis, qui longè minori precio comparatur, ità mutari potest, ut, corrosivâ suâ naturâ & proprietate amissâ, sapore, virtute, & figurâ planè similis sit Nitro vulgari, quod ex pecorum, & pecudum stabulis eruitur, imo bonitate ipsi non solum respondeat, sed etiam in agrorum stercoreatione cuiusvis fimo ovillo aut vaccino antecellat, licet flammam non concipiat, ut Nitrum consuevit. Nemo certè est, qui omnipotentem & clementem Dei providentiam & curam, quam his ultimis temporibus in conservando genere humano adhibet, satis admirari possit. Ideò quicquid spiritum ducit, vitâ fruitur, & se movere potest, ut omnium bonorum Datori indefinenter gratias agat, æquissimum est. Non autem est, quamobrem quis autumet, quod hæc Sal communis inversio multum laboris & molestiæ requirat, aut factu difficilis sit. Etenim adeo facilis

cilis est, ut qui semel tantum Operationem viderit, facilimè eandem & intelligere, & imitari queat. Quicumque igitur præclarissimæ hujus artis beneficio commodum acquirendi cupidus fuerit, jam ubi ea quærenda sit, novit. Fieri enim non potest, cum passim satis multi agri steriles inveniantur, quin maximum commodum acquiri possit.

Miraculum hoc Divinum silentio præterire non potui, sed in Divini Nominis honorem, & totius generis humani commodum & usum revelare debui, ac volui. Nullus in toto Mundo locus in posterum conqueri poterit, quod Dei Benedictio sibi denegata sit. Ubi lignorum copia suppetierit, hæc medicina facili negotio parari poterit, ut ex iis quæ de lignorum prælo fusè tradididi, liquet. Locis lignorum multitudine carentibus Sal communis copiosus non deest, adeò ut Omnipotens Deus suam potentiam & majestatem omnibus in locis toti Mundo manifestet. Si homo jam eò impietatis processerit, ut Divinam Benedictionem repudiet, profecto dignus non est, qui tantæ gratiæ Divinæ particeps fiat. Multo satius ipsi fuisset, ut non homo, sed porcus evasisset, quo vitæ suæ porcina tandem aliquando ipsi ratio non reddenda esset.

III. Munus





III. Munus omnibus diligentibus Medicis oblatum.

*Maximi emolumenti Usus Salispetræ
in Concentratione Metallorum, &
optimorum Medicamentorum
præparatione.*

QUanquam in Prima *Miraculi Mundi* parte
diversas Metallorum Concentrationes &
emendationes, Nitri adjumento perficiendas, descripsi nihil tamen ipsis commune est, cum arcano hoc, quod hic describere statui. Illa enim arcana imperfectiorum Metallorum emendationem tantum concernunt; Hoc verò non solum de Metallorum emendatione, verum etiam multorum præclarorum Medicamentorum apparatu agit, ac ideo aliis operationibus longè præponendum est.

*Modus concentrandi & emendandi
Metalla per Nitrum.*

PRimò vir ex ferro conficiendus est, duos latos nasos in capite habens, ac in supremâ capitis parte os, quod aperiri, & arctè iterum claudi possit. Hic, si ad Metallorum concentrationem adhiberi debet, alii viro ferreo aut lapideo

G

ità

ità inferendus est, ut interius caput ejus ex exterioris viri corpore tantum promineat, reliquum verò corpus, aut venter reliquus exterioris viri ventre, seu corpore abscondatur. Utrique autem Naso capitis apponenda sunt vitrea receptacula, ut vapores ex fervido stomacho ascendentibus excipere queant. Hoc viro usus eum igne sanguineum reddas oportet, ut famem & aviditatem cibum arripiendi ipsi concilies. Si maxime famelicus evaserit, albo olore nutriendus erit. Qui cibus ubi huic viro ferreo suppeditatus fuerit, ex ipsius stomacho ignito admirabilis aqua in caput ascendet, ac per nasos in apposita receptacula defluet; Aqua, inquam, quæ vera, & efficax ægris aqua vitæ erit futura. Ferreus enim vir iste olorem totum digerendo consumit, & in excellentissimum mutat cibum Regi & Reginæ utilissimum, utpote quo corroborantur, augentur, & crescunt. Antequam vero spiritum suum olor extrahat cantilenam suam cygneam canit, quâ absolutâ forti vento animam exspirat, ac assatum suum corpus Regi cibum relinquit, spiritum autem aut animam Diis consecrat, ut inde fiat Salamandra, hominibus & Metallis saluberrimum Medicamentum.

Operandi hunc modum, quo Metalla concentrari solent, hoc ænigmate ideo describere volui, ut ex eo innotescat, fabulam non esse, sed eundem modum etiam ab aliis Philosophis antè me descriptum extare. Patet hoc ex Sextâ Clave

Fratris

Fratri Basilii, ubi modus similis traditus reperitur. Legantur ea, quæ idem Basilius scribit de Salepetræ de seipso dicente ; Quando mihi finis imminet &c. Quibus ex verbis liquebit, quod in Metallis universaliter, & particulariter emendandis, ac optimis medicamentis parandis eadem hac viâ usus sit. Cæterum quoniam imperitis ænigma hoc aliquanto obscurius est, idem de verbo ad verbum interpretari operæ pretium duxi.

Vir Ferreus similis est vasi destillatorio, quod in secunda Furnorum meorum parte descripsi. Alteri ferreo aut lapideo furno imponitur, ac imposito ignis subjicitur. Nasis in superiore parte aliquot receptacula ita applicantur, ut ad minimum tria ejusmodi vitrea receptacula uni naso apposita sint, quorum primum Naso firmiter luto bono adjungatur : secundum fistulâ primi vitri ventrem perforatum intret, ac tertium similem fistulam in secundi vitri ventrem inserat. Secundi vitri fistula in primi ventrem inserta luto probè munienda est : tertium vitrum apertum manere, & luto in secundi vitri ventre firmari non debet, ut exspirantes halitus ex secundo in tertium progredi possint. Eadem ratione & alteri Naso, ut huic, ad minimum tria, aut etiam quatuor vasa vitrea applicari possunt, ita tamen, ut ultimum eo pacto, quo diximus, apertum maneat. *Olor albus* est Amalgama Stanni, & Argenti vivi, cui Nitrum additur, & fit, ut

G 2

sequi-

sequitur. $\mathcal{R}$. unam partem stanni, & crucibulo impositum liquefac igne; ubi liquatum fuerit, exime crucibulum, ac stannum ita fustum in aliud vas terreum infunde, ipsique partem unam Argenti vivi admisce, quod mox à stanno absorbebitur. Stannum autem fragile, & friabile evadit, ac lapide in tenuem, & tenerum pulverem teri potest. Huic probè trito pulveri admisce duas partes boni ac puri Salis petræ, ac probè terendo ita misce, ut Amalgama à Sale petræ dignosci non queat, sed ex utroque pulvis albissimus fiat. Hic pulvis est *Olor Basilii*, ex quo cibum parat Regi: Egò vero ipsum *fulmen Iovis* appello, quo omnia Metalla destruuntur, & in nihilum rediguntur. Ex hoc nihilo autem de novo multo nobiliora, & meliora metalla generantur. De hac Metallorum destructione, & regeneratione Paracelsi librum Vexationum Alchymistarum, & mei Operis Mineralis Tertiam partem consule. Comperies autem, quàm obscuris verbis Paracelsus hanc Operationem involverit, ut & Basilus, qui eandem in sexta sua Clave eadem obscuritate tradit, quam sine ullis involucris apertè & clarè hîc patefacio.

NB. Hujus Nobilissimæ scientiæ studiosus velim sciat, quod Jupiter solus, sive stannum cum solo Vitro mixtum Medicinalem illum spiritum in hac per Igneum illum Virum destillatione artificiosissimâ, sine argenti Vivi additione, reddat, & cibum aut augmentum Solis, & Lunæ,

Lunæ, sive Auri, & Argenti in fundo relinquat. Quod verò Veteres sive Majores nostri Mercurium, sive Argentum Vivum adjunxerint, & ego eandem adjunctionem utilem in hac Operatione compererim, experientiæ acceptum ferendum. Præcipue enim ideò factum est, & fit, ut stannum friabile & terendo aptum redditum cum Nitro commodius misceri possit. Laboriosum enim & molestum foret, si limâ comminuendum esset Stannum, sicut Baptista Porta in Magia sua Naturali docet, quò cum Nitro commisceri & distillari queat.

Hæc per Mercurium in pulverem redactio admodum brevi temporis spacio absolvitur, ipsumque laborem mirè promovet, dum Mercurius in Jovem porosum agens eum penetrat, & compactum reddit: E contrario Fulmen Jovis alas Mercurii incendit, iisque combustis facit, ut stabilis maneat. Ita Jupiter Mercurio, & Mercurius Jovi adjumento est, ac uterque Salis-petræ vi & efficaciâ nobilior evadit. Quippe Jupiter multum Sulphuris combustibilis possidet, quod tamen per se non ardet, nisi adjumentum aliquod accedat: quâ in re efficiendâ artis Magister est Salpetræ, superiorem aut parem alium non habens, id quod Basiliius scitè & sapienter innuit, unicum Sulphur Nitri optimum amicum, & pessimum inimicum esse dicens, & nos ipsi verissimum esse hanc ipsâ operationeprehendimus.

G 3

Stan-

Stannum in pulverem comminutum, & Nitrum quando unà incalescunt, instar pulveris pyrii flammam concipiunt. Purissima pars spiritualis instar Spiritus alicujus subtilis in auras evanescit, ac fixior, stabilior & melior in fundo manet. Sulphur enim stanni noxium, & superfluum à Salepetræ incenditur, & comburitur, quo separato, Stannum reliquum compactius & melius corpus acquirit.

Mercurius in hac Operatione adjunctus etiam depromit, quicquid boni habet, ac Spiritum suum ad Medicinam, Corpus ad Auri vel Argenti augmentum offert: Ut ità plus utilitatis ex ipso accedat, quam si absque ipso, Jupiter solo Nitro ad fulminationem promotus fuisset. Paucis admodum verisimile & credibile esse potest quàm Nobile Sulphur in Jove lateat, quod solo Nitro manifestari potest. Nullâ profecto particulari ratione aliâ Mercurius melius decipi aut vinci potest, quàm Jovis fulmine, quod omnibus Diis terrorem ac metum injicit. Ideò sibi maximè cavent, ne ab illo fulmine tangerentur, & subitâ morte trucidentur. Si Jupiter efficacissimo fulmine suo destitutus fuisset, nec pater Saturnus, nec Sol, nec Luna, cum cæteris Diis ipsi subjecti fuissent. Mars, Venus cum Mercurio ipsum ludibrio tantum haberent. Mars gladium ipsi ostenderet; Venus illecebroso amore ipsum irretiret, & Mercurius omnibus somniculosus Alchymistis illudens avolaret,

&

& ipsum risui haberet. Velint, nolint, omnes Jovem timeant, ac ipsi Imperium concedant oportet. Omnibus Metallis periculosa est Jovis conversatio, quemadmodum cum suo Principe conversari subditos haud in exiguum discrimen sæpè adducit. Periculum hoc non abludit ab illo, in quo Magnatum aulas frequentantes versantur. Ibi enim vel levissima offensa, & quidem etiam studio non commissa, si aliquem Gnathonum & parasuorum aulicorum offenderit, mox ad Principem vel Regem, quasi de industriâ facta sit, tanquam horrendum facinus defertur, & inscio alicui improvisum, & inopinatum malum accersere potest. Hinc in eo toti fuerunt Philosophi antiqui, ut quemvis monerent, quò aulas Magnatum vitaret, utpote in quibus nonnisi invidia, odium, calumniæ, contemptus, & omnis generis pericula vigent. Homini profectò integro vitæ scelerisque puro neutiquam cum securitate aulas frequentare licet, utpote qui proximus est periculo, ut Johannes Baptista, qui veritatem concionatus capitis jacturam fecit. Hinc ratio accurata habenda adagii vulgaris : *Procul à Iove, procul à fulmine*; Qui ad ignem proprius non accedit, ab unctione tutus & liber est. Homo pietatis studiosus in aulis inter aulicos versatur, sicut simplex, & innocens columba inter plurimos subdolos & rapaces accipitres, & falcones : Imò eidem cum iis periculo expositus est, qui turri pulverem

rem pyrium custodienti vicini nesciunt, quo tempore pulvis pyrius fulmine incensus totam viciniam in aërem disiecturus, & dissipaturus fit. Quantis quæso calamitatibus pios, & probos suis calumniis, ac subdolis & hostilibus mendaciis affligunt venenata, & fallaces linguæ in aulis Magnatum frequentissimæ? Infinitas struunt insidias, & retia tendunt quamplurima, ut innocentes irretiant, & irretitos pessudent. Nisi suos Deus singulari sua custodia custodiret, sæpius in calamitates inextricabiles gnathonum ejusmodi perditorum calumniis inciderent. Sed Deus longè istiusmodi consiliis nefariis, & perniciosis insidiis fortior est. Ideò nefarios istos homines non est, cur quis timeat, cum ipsorum machinationes pessimæ non diu durent, & ipsi opinione citius seipsos malo mactent, & eorum salutem inscii promoveant, quibus nocere studuerunt. Legantur historiæ, quæ infinitis exemplis, turdos sibi ipsis malum cacare, & machinationes sceleratas in authorum suorum capita redundare docent.

Sed his omissis, ut operationem ipsam aggrediar, & accuratè ac dilucide doceam, quo pacto suscipienda & absolvenda sit, artis studiosus primo velim sciat, quod labor eidem operationi impendendus diligentem & peritum operatorem requirat. Ideo quemvis etiam moneo, si tractandi ignis imperitus fuerit, ut ab hoc labore manus abstineat, ne operam ludendo in me culpam

pam conferat, & me mendacii coarguat. Ars ipsa certa est, & vera, imò adeò excellens, & præclara, ut vel ille, qui aliquid saltem intelligit, fatis superque videat, quod bono & firmo fundamento totus labor innitatur, & ex ipsa Naturâ depromptus sit. Qui Mineralium & Metallorum naturam compertam habet, probè novit, optimorum Metallorum, Auri puta & Argenti bonitatem & perfectionem in solâ purâ, stabili, fixâ & incombustibili materiâ consistere, atque è contrario imperfectorum Mineralium & Metallorum imperfectionem ex solo Sulphure combustibili, & fœtido proficisci. Quod Sulphur superfluum si ab ipsis, quacunque etiam ratione, segregatum fuerit, reliquum quod remanet, purius, fusibilius, & constantiùs in igne necessario esse debet. Multi quidem modi sunt, quorum operâ Sulphur illud superfluum, & comburens à Metallis sejungitur. Eorum in Opere Minerali, & Quartâ Parte Furnorum mentio facta est. In hac Operatione segregationis modus incensione, aut combustione Nitri perficitur. In Continuatione Miraculi Mundi quoque quidam alii indicantur. In omnibus tamen Salpetræ adhibendus. Variis enim, & diversis rationibus imperfecta Metalla aggreditur, atque in iis puriorem ab impuriore parte secernit, id quod passim ex scriptis meis hactenus editis patet. Quod autem hîc Salpetræ Mercurius adjutor accedat, ideo fit, ut in præ-

cedentibus jam monuimus, quò Stannum commodius in pulverem comminuat, & ipsi Mercurio extorqueatur excellens, & efficax illud Medicamen, quod cum augmento Solis vel Lunæ in hac operatione acquiritur. In nomine igitur Domini operationem in manus sumus visuri, quid inde futurum, aut quid Deus largiturus sit.

Artis studioso autem hoc notum esse debet in hac operatione non solum Sulphur superfluum Jovis, & Mercurii urendo consumi, & secerni, ac utrumque Metallum concentrari, & emendari; Verum etiam utrique aut Jovi soli etiam alia Metalla adjungi, & Salispetræ adjumento incendi, fulminari, & concentrari posse. Nam Jovis fulmen non modo proprium suum corpus, sed & alia sibi adjuncta Metalla eadem operâ concentrat, & emendat. Nec est propior via, quantum quidem mihi constat, omnia Metalla, imò & Aurum & Argentum ipsum momento citius destruendi, quam Fulmen Jovis, quod cuncta Metalla ità destruit, ut postea ità per se, sine ullâ rerum aliarum additione, nullâ ignis vi, quantacunque etiam fuerit, in pristinum suum corpus fusibile reduci queant, utpote quæ dicto modo destructa, & liquata semper in vitra abeunt, quorum quodvis conpingitur colore, qui ipsius Metalli naturæ & proprietati respondet. Aurum in pulcherrimum vitrum Rubino simile mutatur. Argenti vitrum Chry-

Chrysolito colore suo respondet. Cupri vitrum colore viridi & rubro Jaspidem refert. Martis autem vitrum ab eodem haud multum abludit. Stanni & Plumbi vitra alba manent. Vitra hæc postmodum artificiosâ reductione (nam ignis eam præstare nescit) in sua corpora reducuntur, & multo sunt, quàm antea, præstantiora, & nobiliora. Docet hoc clarè & apertè celebris ille Philosophus Isaacus Hollandus in suo libello de Amandis, ac testatur, quod vitra Ferri & Cupri post reductionem Argentum, Argenti vitrum Aurum, atque Auri vitrum Tincturam reddat. Ultimum hoc nondum investigavi, nec etiam expertus sum; sed hoc solummodo comperi, quod Metalla per Jovis Fulmen destructa semper meliora & emendatiora evadant.

Paracelsus, quodvis, inquit, Metallum alterius occultator est; Occultum autem bonum patefieri nequit, nisi occultator, i. e. Sulphur superfluum removeatur, qui per corruptionem, & destructionem removendus est. Corruptio perfectionem efficit, nec ullum Metallum emendari ac nobilius reddi potest nisi prius corrumpatur. Verba hæc confirmat Operatio quam hîc trado. Quis unquam credidisset, Jovis fulmine momento citius constantissimum Aurum ità destrui posse, ut in igne in suum pristinum corpus redire nequeat? Quis unquam sibi persuadere posset, quod Mercurio fugacissimo, & omnium Chymicorum irrisori momento citius à ful-

à fulmine Jovis partim alæ comburantur, partim excellens medicina extorqueatur. Alias certè Mercurius satis subdolus est & astutus, ad eò ut insignis & magnus sit artifex oportet, qui ipsum in potestatem suam redigere cupit. Novit hoc præstare Fulmen Jovis, quod ipsum inopinatum obruit; antequam fugâ sibi consulat, jam à dicto fulmine se oppressum sentit. Non tantum temporis ipsi conceditur, ut de loco, quò avolet, dispicere possit. Fulmen Jovis ipsi facialem non mittit, qui bellum denunciet: Subito impetu irruit, & occidit, quicquid se opponit. Faceto lusu Mercurius excipitur: Nescit, quâ superbiâ se efferat quando cum Jove per Amalgama conjunctus est, & sibi facilem socium accessisse autumat. Ignorat verò, se non parem esse socio, à quo ictus sibi infligi posset, de quo vel per somnium non cogitasset. Potentis enim alicujus societas impotentiori & viliori socio semper periculosa est. Verissimum igitur manet vulgare adagium; Quo remotior ab igne, eò tutior ab adustione eris.

Verè, & benè Paracelsus ait in libro Vexationum, quod nulla Metalla se invicem emendare & corrigere possint, etiamsi corporibus suis diu admodum in fluxu conjuncta persistant, cum quodvis sine ulla emendatione ex fluxu exiturum esset eodem corpore, quo intravit. Si autem Metalla spiritualiter in igne unà patiantur, quod tunc unum vim & efficaciam emendandi alterum habeat,

beat, ac in eodem labore perficiendo Mercurius potissimam operam præstet. Paracelsi hæc verba verissima esse ex hac operatione liquidò patet. Nam dum Jupiter & Nitrum mutuâ irâ exardescunt, ac flammam concipiunt, Mercurius ex hoc velocissimo igne evadere nesciens, cumque pati coactus, sui defendendi causa, quicquid potest, molitur, & sociis suis quoque molestiam exhibet. Angustiæ tales haud abs re mihi videntur comparari posse cum Domino aliquo, quem cum servo suo hostis inexpectato impetu opprimit, ac ferro & flammâ petit. In tantis angustiis servus constitutus Domini nullam rationem habet, sed summam operam navat, quò ex angustiis emergere queat, nihil pensi habens, si interea vel ipsius Domini sui caput pedibus conculcet, dummodo periculum declinare, & seipsum servare possit. Vita enim sua cuique chara est, id quod ex nullo discrimine melius & certius cognoscitur, quam si quis in incendio aut inundatione constitutus in vitæ periculo versetur. Nullum autem majus periculum Mercurio imminere potest, quam Jovis Fulmen celerrimum, sive id per Jovem & Salempetræ fiat, sive per Salempetræ & aliud ali-quod Sulphur ex Metallis, Mineralibus, aut Vegetabilibus petitum. Etenim à celerrimo ejusmodi igne obrutus, quò se vertat, nescit, utpote ab hoste suo præter omnem expectationem oppressus, adeò ut nullum evadendi con-

consilium capere possit, sed mortem antè oculos versari videat. Hæc Mercurii Natura est, & proprietas. Si includitur ut pedetentim ignem pati discat, faciliè effugiendi viam invenit, quàm arctè etiam conclusus fuerit. Omnia Metalla penetrat, & in auras evanescit. Si fortissimis vasis ferreis arctissimè includatur, in ignem subito coniectus, licet ob celerrimum fervorem ipsi tantum temporis non concedatur, ut Metallum carceris sui, poros penetret, tamen retineri non potest, quoniam horrenda vi carcerem suum perumpit, ac summo fragore edito, perinde ac si sclopetum pulvere pyrio exoneratum esset se in fugam conjicit, illasâ tamen naturâ suâ, quæ ne minimam quidem mutationem passa est. Aquas item corrosivas, quibus ab imperitis carboniperdis elixatur, & assatur nihil facit, ac quocunque modo etiam exagitur, sine ullâ mutatione ad pristinum suum corpus redire solet, id quod tam est notum, quàm quod notissimum. Nec ignem, nec aquam vulgarem curat, ac eos ludibrio habet, qui ipsi vincula injicere conantur, ipsis è manibus elabens, adeò ut nihil habeant, quando se jam ipsum firmissimè tenere arbitantur. Solum Jovis Fulmen ipsum domare, & ad obedientiam revocare potest. Pulvis ille fluxum celerem efficiens, & ex Salepetræ, Tartaro, ac Sulphure compositus, de quo in secundâ parte Furnorum meorum mentionem feci, etiam

etiam non est contemnendæ operationis ; Nam quando Massa Mercurio commixta , carbone desuper injecto accenditur , Mercurius alteratur , ac quando ipsi ignis sufferendus est , magnum fragorem edit , donec ignem per-ruperit. Sed à Fulmine Jovis deprehenso tantum temporis non conceditur , ut clamare possit. E vestigio enim ipsi moriendum & pessum eundum est. Antè verò quam fulmen erumpat , dum fervorem sentire occipit , cantuunculam canit , quâ dum occupatus est , fulmen erumpens ipsum mox occidit. *Cygneum cantum* appellat Basilus hanc cantilenam , idque ob similitudinem. De Cygno vel Olore Phisici veteres memoriæ prodiderunt , quod , cum ipsi , postquam consenuit , moriendum est , cantilenam quandam canat , & post cantionem illam editam mox moriatur. Hoc de ave Cygno dictum credidit vulgus , quod tamen falsum est , quandoquidem neminem adhuc dicere audivi , quod Cygni morituri cantum auditu perceperit. Veteres Philosophi nostrum *Cygnum* vel *Olorem Metallicum* innuere voluerunt. Sed quærat aliquis , cur Amalgama Jovis & Mercurii cum Olore comparetur. Ideò , inquam , quia , ubicunque illud frangatur , intus & foris dictæ avis plumis simillimum est , atque ideò non immeritò à Philosophis *Olor* sive *Cygnus* appellatum est. Cum cantu ipsius ita comparatum

ratum est : Quando Amalgama cum Salpetræ commixtum, chartulis involvitur, chartularumque una post aliam in Ferreum virum injicitur. Mercurius apud Jovem cantare incipit, cantui alicujus avis tenui similem cantum, qui cantu galli gallinacei diutius non durat, quandoquidem flamma vestigiò sequitur, quæ separationem facit.

Quo certior autem quis hac de re esse possit, Operationem ipsam de verbo ad verbum perspicuè & dilucidè exponam.

℞. Stanni libram 1. & Mercurii lib. 1. fac Amalgama ut supra docui. Hoc tere cum duabus libris Salispetræ puri, & ab omnibus fecibus liberati, redigendo totam massam in minutum pulverem, donec digitis ipsum Amalgama non amplius palpari possit, sed pulvis minutissimus & tenuissimus fiat. Hunc pulverem distribue in sexaginta plus minus partes æquales, totidemque chartulas, quamvis peculiari sua parte, reple, ità ut uncia circiter una aut duo letones uni chartulæ, emporeticæ simili, involvantur. Quantitas hæc non excedenda, præcipue si Ferreus Vir & receptacula apposita non usque adeò magna fuerint. Minora enim vasa minores chartulas, & paucioram materiam chartulis impositam postulant. Vasi enim candenti injecta in chartulis materia, cum primum flammam concipit,
fra-

fragorem edit instar pulveris pyrii , qui carbone accenditur. Facilis labor est , quem quidem opus mulierum , vel lusum puerorum appellaveris. Nam simulac chartulâ unâ incensâ vapores cum fumo & vento adscendentes in receptacula transferint , & quiete captâ confederint , mox alia injicitur chartula , ut cantilenam suam cantet , & per fumum in receptacula transeat. Chartularum injectio hæc tamdiu continuanda , donec omnes , quas implevisti , injectæ fuerint. Vix ultra decem , quandoque tamen quindecim unâ horâ injici possunt. Nam si nimîâ festinatione una chartula mox alteram sequuta fuerit , adscendentes Jovis & Mercurii spiritus non omnes confederint , sed per foramen posterioris vasis exhibunt , quorum tamen jactura cavenda est. Satius enim est , ut una hora labori continuando adjungatur , quàm nimîâ festinatione spirituum nobilissimorum jactura fiat. Hoc pacto sensim Ferreus Vir cibo suo , nimirum *Olore albo* , nutritur , quemadmodum infantes à matribus insertis frustulis successivè nutriuntur. Ludo puerili labor comparari posset. Sicut enim pueri in plateis pulvere pyrio , si nancisci illum possunt , ludere solent , unam particulam post aliam accendentes , comburentes , & tam ex strepitu , quam flammâ & fumo in auras avolante lætitiâ , & voluptatē

H

tem

tem capientes : Ità etiam Hermetis filii suum cygnum cantare audientes , ac spiritum & animam tam pulchram ex corpore suo in apposita receptacula emittere videntes , summa lætitiâ & gaudio afficiuntur.

Postquam omnes chartulæ injectæ fuerint , ab igne subjiciendo , ut spontè sub ferreo viro extingatur , desistendum est. Ubi autem omnes spiritus in receptaculis confederint , ipsa receptacula , unum nimirum post aliud , demenda sunt , in quibus anima Jovis , Mercurii & ejus Metalli , quod adjunctum est , utriusque colore albo vel cineritio invenitur , si Mercurius & Jupiter soli adhibiti fuerint. Sin Aurum accesserit , purpureo colore apparebit. Argentum additum colorem luteum exhibebit. Cuprum colore subrubro indutum cernetur. Hoc autem non solum de illa materia , quæ in receptacula transivit , sed etiam eâ , quæ in Viri ferrei fundo remansit intelligendum. Præcipuè autem Deus Omnipotens singulari suâ Providentiâ concessit , ut Anima se occultet corporalibus floribus , qui unà in receptacula transeunt , quò Anima , quæ forsan ob nimiam suam subtilitatem difficulter admodum acquiri posset , eò facilius acquiratur. Ideò Divina Benignitas suæ cognitionis , laudis & gloriæ causâ permittit , ut omnia humano commodo inserviant. Si manus

nus

nus in receptacula immitti potest, cochleari arrepto flores, qui Animam occulunt, eximendi erunt. Sin minus, aut unco eum in finem parato abradendi, aut aquâ affusâ eluendi, ac postea tractandi, ut mox sequetur. Massa in Stomacho Viri Ferrei residua, & ubi refrigerit, exempta, igneam naturam habebit, & colorem album, si Stannum & Nitrum sola fuerint: alium verò Metallo respondentem quod ipsis adjunctum fuit. Hanc Massam solo igne, quantumvis vehementissimo ad pristinum corpus nemo reducet, cum liquata nonnisi in vitrum, & quidem ægrè abeat. Eam tamen sequenti operatione in corpus Metallicum reduces. Forti admodum tiggillo aut crucibulo immissam, & tectam impone Furno ignem fortissimum vento excitatum reddenti, qualem in IV. Furnorum meorum libro descripsi. Igne sensim excitato candefac, & ubi probè incanduerit, operculo parum remoto pauxillum triti Sulphuris, aut Antimonii, vel Carbonum in pulverem minutum redactorum massæ candenti injice, ac operculo, & prunis crucibulum denuò contege, ut omnis materia probè fluat. In hac Operatione Sulphur combustibile Nitrum fixum intrabit, illudque à fixo Metallo separabit, & cum eodem in scorias nigras, quicquid Sulphuris, Antimonii, aut carbonum

H 2

ad-

additum fuerit , mutabit. Iupiter cum Mercurio , & Metallo , siquod adjunctum est , à scoriis secedet , & in corpus metallicum redibit , quod post effusionem , & refrigerationem à scoriis separandum erit. Iupiter externo aspectui pristinum suum corpus exhibebit , emendatum tamen , quod Proba illum docebit , cui periculum facere libuerit. Scoriarum residuæ reponendæ sunt , quoniam præclara Medicina Universalis ex iis confici potest. Regulo rursus liquato , quantum ponderis habuerit , tantum etiam Mercurii addetur , ut novum Amalgama fiat , quod cum æquali pondere Nitri mixtum iterum cum chartulis in Virum ferreum conjiciendum , sicuti monstravimus , ut flores & anima colligantur , & prioribus addantur. Massa residua pari , ut antea , ratione per sulphur præcipitanda , & scoriarum à Regulo separatæ prioribus addendæ , ipseque Regulus cum Mercurio in Amalgama redigendus , ut cum Nitro flores & anima eliciantur. Hic labor toties iterandus est , donec dimidia Reguli pars in scorias conversa fuerit. Pars ejus reliqua , quæ superest , per cineritium examinata monstrabit , quantum Auri & Argenti hoc labore generatum sit , quod lucrum aliis carbonibus & metallis ad opus continuandum cœmendis inserviet. Anima , quæ in receptaculo

cula transivit , excellentissimam reddet medicinam , & eâ haud multo minorem exhibebunt scoriæ , quæ singulis vicibus sepositæ sunt. Quo pacto autem effectui cuncta danda , in sequentibus ordine docebimus. Unicâ igitur hâc Operatione Universalis Medicina Humanis & Metallicis corporibus idonea , & ex residuâ parte Metallum emendatum ad necessarios sumptus , qui ad continuandum Opus Magnum requiruntur , particulariter acquiritur.

Quo pacto igitur particulariter ex Iove & Mercurio sæpius fulminato emolumentum haud contemnendum quis consequi possit , dilucidè exponam , utpote qui non semel , sed sæpius laborem illum expediti. Tradam itidem modum & viam , quâ ex scoriis ad omnes morbos curabiles tollendos Medicina saluberima parari possit , siquidem aliquoties eodem labore defunctus sum.

Quâ verò ratione ex Animâ Metallorum illâ Universalis Medicina Hominum & Metallorum corporibus salubris parari queat , neminem docere possum. Nunquam enim hactenus mihi fortuna adeo favit , ut ejusmodi Opus grande perficiendi occasio & tempus oblatum esset , quoniam obstacula objecta me aliquoties ab hoc ipso Opere avocarunt. Nul- lum tamen mihi dubium est , si laborem

H 3

Deus

Deus benedictione suâ promoverit , quin verus Lapis Philosophicus ex hac ipsâ animâ confici possit. Quantum autem mihi constat , & quo pacto opus efficiendum arbitror , Miraculorum Divinorum Studiolum , salvo tamen aliorum judicio , non celabo. Quæ manibus meis laboravi , de iis alios certiores reddere possum ; Quæ non feci , ea , ut sunt , relinquo. Principium laboris dilucidè satis hîc à me proponitur. Qui ex his omnibus adeò dilucidè propositis addiscere plura nequit , quàm quæ hîc nominatim profero , ille longè satius faciet , si ab ejusmodi laboribus manus suas abstinuerit. Laterem enim lavat homo , cui nihil boni destinatum est.

Medicus pius , quem Deus favore suo complectetur , hujus Operationis beneficio faciliè optimam Medicinam Universalem consequetur , ac particulariter tantum ad vivendi necessitatem acquireret , ut boni Samaritani instar proximo suo gratis auxilietur , atque ità extrà omne dubium sibi Dei gratiam , hominum favorem , & corpori suo nutrimentum & alimentum honestum conciliet.

Unanimitate clamore omnes Philosophi exclamant ; *Fac fixum volatile , & volatile fixum* , ac ità *veram* Universalem Medicinam habebis. A quo scopo etiam minimè aberrabit , qui ad opus suum bona subjecta adhibue-

hibuerit. Quia igitur in hâc dictâ nostrâ operatione Aurum præter cuncta cætera Metal-
la purissimo corpore præditum fugax & vola-
tile redditur, animâque suâ nudatur, credi-
bile profectò erit, quod ex anima Auri, si
Mercurii anima ipsi accesserit per fixationis di-
gestionem constans in igne Salamandra para-
ri queat. Equidem Purpuream animam Au-
ri, & Mercurii, quæ in receptacula transi-
vit, solâ dulci & unicuique notâ aquâ Uni-
versali eluendo, à floribus Iovis liberarem,
per chartam emporeticam puram redderem,
coagularem, & in tingentem lapidem fige-
rem. Nullum mihi planè dubium est, quin
aliquid boni inde sit proditurum. Cuncta ta-
men à Dei voluntate dependent. Non enim
est currentis, volentis aut quærentis, sed Dei
solius miserentis, cujus clementissimæ volun-
tati nos & omnes nostras actiones oportet com-
mendemus.

Ex scoriis post reductionem residuis facilè
Medicinam extraxeris. Scorix tamen illæ,
quas hîc labor reliquas facit, diversæ sunt, &
diversam naturam habent. Etenim, quæ ex
Operatione cum Stanno, & Argento Vivo
superfunt, aliûs sunt naturæ & proprietatis,
quàm illæ, quas operatio cum alio Metallo
istis duobus adjuncto, Auro puta, Argen-
to, Ferro aut Cupro, facta reliquas facit.

H 4

Cuique

Cuique Metallo propriæ suæ sunt vires , & virtutes , quæ se in scoriarum extractione unâ produnt , & extractum illud vel nobilius reddunt , vel viribus minuunt. Aurum & Argentum diversam à Cupro & Ferro naturam ac proprietatem possident. Ferrum tamen , & Cuprum non maligna sunt in scoriis , utpote quæ viribus bonis etiam pollent. Maximæ tamen vires , quæ ex scoriis eliciuntur , pro Sulphuris Tinctura habendæ sunt.

Nam Metalla per fulminationem destructa atque iterum in corpus reducta minimam apud scorias partem reliquunt , & maxima parte in corpus Metallicum redeunt. Scoriæ igitur ipsæ potissimum ex Nitro fixo constant & Sulphure illo , per quod destructa Metalla ex Nitro iterum in Metallicum corpus reducuntur. Scoriæ Metallorum destructorum , & per Sulphur commune , aut carbones præcipitatorum unam eandemque habent naturam , & easdem vires , ac proprietates. Scoriæ reductionis per Antimonium factæ aliæ naturæ participes sunt , crassioris nimirum , & fortioris , quam illæ , quas reductio per Sulphur commune aut carbones dedit. Illæ enim vomitus adhuc concitant , quod hæ non faciunt.

Hoc monere hic volui , quoniam Antimonium

nium multas adhuc obtinet vires Arsenicales, quas paucas Sulphur vulgare continet, Carbones plane nullas : quod ideò & scorix per has factæ cæteris tutiores sint : Eas tamen aliquanto crudiores & immaturores esse confiteor. Sed extractæ per Spiritum Vini excellentem Tincturam, & quasi Universalem Medicinam exhibent. Tàm notum est, quam quod notissimum, quod, Auro & Argento exceptis, nulla subjecta ad Medicinam aptiora inveniantur, quam Antimonium, & Sulphur vulgare. Huic Sulphuri vulgari quoniam lignorum Carbones natura, proprietate, viribus, & virtutibus exactè respondent, ideò scorias iisdem factas commendo, ac cæteris per Minerale Sulphur, & Antimonium paratis præpono; non ideò quod major carbonibus efficacia insit, quam vulgari Sulphuri & Antimonio, verum quia ex carbonibus per Nitrum fixum solutis, & aptioribus redditis, ut vires suas spiritui vini facilius concedant, vires etiam extractu sunt faciliores, & Animali Naturæ aliquantò familiariores, quam vulgare Sulphur, & Antimonium. Posteaquam autem, ex quibuscunque etiam scoriarum istarum Medicina parata fuerit, omnes ipsius Operationes efficaces sunt, parvoque discrimine quoad externam speciem & colorem distant. Nulla alia inter Tincturas istas differentia est,

H 5

nisi

nisi quod ex Antimonialibus scoriis extracta, si aliquantò majore dosi propinetur, vomitus ante fixationem excitet, & cæteris duabus fortius operetur. Omnes tres pro more Sulphurum quodvis Argentum deaurant, stercoreando crescentibus vegetabilibus auxiliantur, ac Aurum reclusum & spirituale factum viâ humidâ augent ac nutriunt. Hinc Medicinæ huic jure *Universalis* nomen competit, utpote quæ tribus Regnis, Vegetabilium, Animalium, & Mineralium efficacissimè medetur. Ac quamvis mihi hætenus nondum innotuerit, quid in Metallorum transmutatione præstare queat, persuasum tamen habeo, si prius per fixationem constans in igne reddatur, & ingressum aliquem in metalla nanciscatur, eam & in transmutatione aliquid effecturam esse. Hac vice in medio rem relinquenti mihi sufficit indicasse viam, & rationem quâ ex scoriis residuis contrà omnes morbos curabiles remedium Universale parandum sit. Plura sciendi avidus manum admoveat, & plura investiget; Via ipsi aperta est. Sin quid melius concupierit, Spiritum Mercurii & Auri in receptacula expulsum aggrediatur, & melius quid in ipso investiget. Si Divinâ Gratiâ favente à multis quæsitam, & à paucis inventam margaritam adeptus fuerit, ne ergà Deum ingratus sit, sed pauperum memor existat, ægris opituletur,

tur , superbiam vitet , & Dei gloriam promoveat.

Quantum ad residuas partes , flores nimirum Metallicos , & Argentum vivum , quod vivum unâ in receptacula transcendit , attinet , Mercurius currens à Metallicis floribus separari , & ad similem laborem Amalgamandi Jovem iterum adhiberi potest. Flores cum fulminatis metallis rursus reducendi sunt , ut de Auro & Argento nihil omninò pereat. Ità continuo exercitio hîc labor promotus perpetuum Lunæ & Solis augmentum præter Animam tingentem dabit , & soli in Salempetræ sumptus impendendi erunt. Hi faciles erunt illi , qui ipse Salempetræ conficere novit , ad quod faciendum ipsi viam monstravi ; ita ut facilimè sine grandi labore , molestiâ & sumptu non solum honestam vitæ sustentandi rationem ingredi , sed pauperibus etiam necessariâ sustentatione & derelictis agris bonâ Medicinâ in Dei honorem , & miraculorum ejus manifestationem , auxilium & opem laturus sit. Quid quæso homini in hoc perverso mundo magis expetendum censemus , quam honestam vitæ sustentationem ; ac tantum bonorum & opum , quæ nobis sufficiant , ut etiam in necessitate constituto proximo suppetias ferre , & Deo inservire possimus. Sufficit , si necessaria nobis suppetant : Omnium rerum copia , & affluentia

tia

tia salutis animæ magis obest , quam prodest. Nec boni Christiani est eam à Deo precibus contendere. Imo si eam præter petitionem , & expectationem consequitur , inani fumo , à minimo flatu venti ita disjecto , ut , quo evaserit , nesciatur , tamen potiolem non ducit. Sola virtus , & vera Dei Cognitio constantes sunt , & manent , nec unquam ad infamiam recidunt teste versiculo veteri ita canente :

Quid Auro melius ? Iaspis. Quid Iaspide ? Virtus.

Quid virtute ? Deus. Quid Deitate ? Nihil.

Quam pulchris , & excellentibus gradibus adscendit ad Omnipotentem Deum ille cui Deus ex gratiâ , humile & virtutibus præditum cor , largitur ? His duobus gradibus Deo proximè appropinquat. Quando autem Diabolus hominem superbiâ & vitiis inquinat , miser homo cæcus est , ac neque Dei neque Naturæ lucem aspicere & cognoscere potest. Quamobrem homines omnes solam Divinam gratiam , quæ omnem cæcitatem depellit , à Deo petere & non caducis & temporalibus bonis , à quibus tenebræ & obscuritas oriuntur , inhiare debent. Philosophi Ethnici , qui Christum ignorantes lucem Deum agnoscendi ex solâ naturâ hauserunt , eâ opinione fuere imbuti ,

buti , quod nonnisi pii homines Universalis Medicinæ compotes fieri soleant , & , si impius aliquis solâ Divinâ gratiâ eam acquirat , omiſſis vitiis neceſſario pius & virtutibus præditus evadat ; id quod his verbis innuerunt : Ars noſtra invenit , aut reddit hominem ſanctum. Ex quibus ſatis manifeſtè patet , quod Ethnici ſuis temporibus ſine Chriſti cognitione longè nos Chriſtianos virtutibus ſuperarint , & vitam magis Chriſtianam duxerint , quàm hodierni Chriſtiani ore ſolo ſe Chriſtianos profitentes faciunt. Quid nomen nudum confert , à quo res designata abeſt ? Deum in ore , & Diabolum in corde gerere noſtro hodierno Orbi Chriſtiano communiffimum , & familiariffimum eſt. Sed quia Chriſtus non os ſed cor requirit , ac animam domicilium ſuum conſtituit , quàm pulchre quæſo tandem iſtiusmodi Chriſtiani plerique Chriſtum ore profitentes , & Chriſtianè tamen ſe non gerentes ſtabunt. Sed de miſero hoc Chriſtiani noſtri orbis ſtatu in Tractatu de Concentratione Cœli & Terræ plura dicemus.

Antequam verò hanc meam de Metallorum per Salempetræ Concentrationem concludam , aliquot adhuc admonitiones hîc adjungere operæ pretium duxi , ut horum laborum ſtudioſe eò melius inſtituam.

Quando in Metallorum per fulmen deſtrutorum

etorum reductione scorix Jovis nimis diu in fluxu supra Aurum relinquuntur, ita ut debito tempore non effundantur, magnetica quadam ratione residuam animam, quam fulmen Auro reliquit, eidem extrahunt, ac totum pallidum relinquunt. Cum hoc pallido Auro si Mercurius de novo in Amalgama redactus fuerit, ita ut Aurum labore hoc aliquoties repetito planè animâ suâ spoliatur, dum ea partim Spirituali formâ in receptacula apposita propellitur, partim relicta à scoriis penitus attrahitur, tum Aurum omnem suum colorem amittit, & è contrariò scorix sanguineum colorem induunt.

E scoriis sanguineo colore tinctis Tinctura singulari quodam artificio extrahenda, & modo noto in usum adhibenda est.

Auro pallido Ferrum, Cuprum, aut Antimonium colorem suum fulvum reconciliant. De hac Operatione ita Sendivogius; Est, inquit, & alius Chalybs, si undecies coit cum Auro nostro, Aurum debilitatur ferè usque ad mortem, & Chalybs concipiet, & pariet filium patre clariorem. Qui tentare aliquid hâc in re desideraverit, Sendivogium legat, qui ipsum ad hanc Operationem sufficienter informabit.

Porro quoque & hoc observandum est, quando per fulmen Jovis anima Solis & Mercurii
in

in receptacula est propulsa, statim ex receptaculis demptis flores animam occultantes eximendos, & vitris probè clausis custodiendos esse. Dicta enim Auri & Mercurii anima adeò spiritualis, subtilis & fugax est, ut facile effugiens avicula nidum vacuum relinquat. Veritatem rei expertus sum. Qui mihi fidem habere non vult, quæ dico, experiatur, & vera esse comperiet.

Ut autem Hermeticæ Medicinæ studioso indicium faciam, quo pacto ejus rei gnarus esse possit, narrabo, quonam casu illa mihi innotuerit. Cum quodam tempore animam Auri & Mercurii per fulmen Iovis in receptacula impulsam inde exemissem, & ex uno eorum cuncta tam accuratè non removissem, ut non aliquid in eo remansisset, aliquot aquæ uncias affudi, ut eò melius flores relictos eluerem. Interea aliquod negotium magis necessarium se mihi obtulit, ita ut receptaculum illud cum aquâ infusâ mensâ in Laboratorio meo regione fenestræ imposuerim, & idem oblitus aliquot dies ibi reliquërim. Frigus tunc temporis satis acutum incidens, ac aliquot dies durans omnia glacie constrinxerat. Ego Laboratorium ingressus, ut viderem, num vitra nonnulla aquam continentia à glacie in ipsis concreta, ut fieri solet, dirupta essent, quædam omninò glacie oppleta inveni, ac receptacu-

ptaculum illud ibi jacere videns mox illud à glacie corruptum credidi. Sed eo in manus sumpto comperi, aquam in ipso, in glaciem frigore nondum concrevisse, sed claram mansisse, ideo lætatus, quod vitrum illæsum manserit, ac etiam valde miratus, undenam efficaciam illa profecta esset. Sed eam alii rei nulli acceptam ferre potui, quam calidissimo Spiritui Auri & Mercurii, cujus tamen vix tria aut quatuor grana in vitro superesse potuerunt, quæ paucissima licet, aliquot tamen aquæ pluvix uncias à frigore conservarunt. Ex eo tempore rem accuratius meditatus tandem animæ istius ingentem, imò incredibilem calorem deprehendi. Sicut scribo, ita mihi res usu venit. Alius accuratiore investigatione perquirat, quid infernali ejusmodi fervore perfici possit. Hoc scio, quod sequuturis temporibus futuri sint artifices diligentes, & seduli, qui mihi pro meâ fideli institutione gratiam debitam agent.

Credibile enim & verisimile est, Spiritum hunc Auri & Mercurii subtilem & igneum, qualis adhuc ante fixationem existit, mox multas occultas corporis ægritudines sublaturum esse, & summâ cum utilitate adhibitum iri. In Quartâ Parte Furnorum, & Prima, Secunda, ac Tertiâ Parte Pharmacopœiæ Spagyricæ bona medicamenta arte subtili parare docui.

docui. Hic autem vi & potentia utens, ignem ac ferrum adhibeo, & summâ vi expello, quicquid sponte suâ exire recusat.

Præterea hic animadvertatur, oportet, si Metalla, sive sit Aurum, Argentum, aut Cuprum, per Amalgamationem cum Stanno & Argento vivo conjungi debent, ea prius in puras & splendoras calces redigenda esse, ut eo libentius & promptius à Mercurio recipiantur. Calcis autem tantum quarta, aut ad minimum sexta pars tantum in Amalgatione addatur, ne Iupiter nimiam calcis copiam in fulminatione impediatur. Omnis enim in rectâ fulminatione operatio consistit, si quid boni efficiendum est. Ut autem quis ab operatione non aberret, prius periculum facere poterit, an cuncta bene mixta, & parata sint. Ideò quartam lotonis partem immitte crucibulo parvo, & hoc prunæ ardenti impone, & immotis ac intentis oculis fulmen aspice, ut videas, quem colorem redditurum sit. Si adeò album & clarum extiterit, ut oculos occæcet, perinde ac Sol inspectus oculos occæcat, omnia recte & ordine mixta sunt. Fumus eo colore tinctus est, quem Metallum adjunctum habet. Aurum purpurei, Argentum cærulei, Cuprum viridis, ac Stannum & Argentum vivum sola albi coloris fumum reddent.

Ex massa in crucibulo residua perspici quoque

I

que poterit, an fulmen ritè peractum sit, si nimirum caput mortuum, sive massa residua porosa est, & igneo sapore linguam ferit. Colores etiam ipsius massæ diversi sunt, prout hoc vel illud Metallum additum fuerit. Stannum & Argentum vivum sola albam tantum, & igneam materiam relinquunt.

Denique nec hoc momenti haud parvi prætereundum, si videlicet non Medicina aliqua, sed Metallorum emendatio tantum quærat, non necessarium esse, ut Mercurius addatur, cum Metalla, præcipuè verò Aurum, Argentum, aut Cuprum cum solo Stanno liquari possint. Nam liquata cum Stanno in massam friabilem abeunt, quæ in mortario in pulverem tenuem contunditur, cum æquali pondere aut paulo majore Salispetræ miscetur, forti ollæ imponitur, operculo tegitur, ac circulari igne circundatur, ut eodem magis ac magis appropinquante sensim incalescat, ac tandem flamma concepta incendatur, & disjiciatur, qua in operatione multi flores in auras abeunt, & ignea massa in fundo manet, in injectione Sulphuris alicujus comburentis in forti crucibulo furno venti imposito in corpus Metallicum iterum reducenda, ac post reductionem denuo in pulverem redigenda, & novo nitro commiscenda, atque prioris laboris iteratione aliquoties rursus eodem modo tractanda.

ctanda. Tandem Massa illa per Nitrum in crucibulo ubi reducta fuerit, Aurum, Argentum, ac Cuprum auctum ex Jove deprehenditur.

NB. Quia in hac operatione haud parum ex Metallis per fumum avolat, ejus conservandi causâ crucibulum muro alicui apponi, & in muro nonnulla vasa, aut ollæ sublimatoriæ satis capaces supra illud firmari possunt, ut Metallis per fulmen accensis flores elevati conserventur, ac in purius, quàm antea fuerunt, Metallum eleventur. Labor hic non multum abludit ab Operatione Basilii, in quâ Salpetræ; *Mea*, inquit, *amasia est hilaris fœmina* &c.

Duæ sunt tantum fœminæ Metallicæ, Luna nimirum, & Venus, quæ utraque huic labori inservit, hæc tamen commodius, quam illa. Imò & idem labor etiam Soli, Marti ac Saturno, qui fœminæ non sunt, augmentum adjungit. Quando Jupiter, cum Venere aut Luna colliquatur, mulieres illæ exhilaratæ lætitia exultant, cantant, saltant, & tractari se etiam sinunt, quocunque modò alicui eas tractare placuerit. Ideò *hilares fœminæ* appellantur.

Non contemnenda est operatio, utpote quæ laborem adhibitum probè compensat, ac paucos sumptus, si Salempetræ excipias, requirit, & majore quoque copiâ effectui da-

ri potest. Sed prior nostra cum Mercurio meliorest.

Cæterum Operationi huic multum adhuc inest boni, cum multum in recessu adhuc habeat. Sed hîc cuncta congerere necessarium non arbitror, quippe quæ maximam partem meæ Continuationi Miraculi Mundi melius convenient. Benevolus Lector hæc æqui bonique consulat. Propediem, Deo dante, plura & meliora sequentur.

Quæcunque hîc literis mandavi, verissima sunt, & plurimis experimentis firmata, quibus unusquisque tutò confidere poterit; Si rectè operatus fuerit, ipsissimam veritatem comperiet. Sin verò Asinus aliquis canere fidibus conari vellet, & crassis suis digitis fides debito modo non tangeret, ità ut harmoniâ turbatâ dissonus cantus sequuturus esset, sibi non mihi culpam adscribat oportet. Nam omnia hic tradita secundum literam intelliganda, & in laboribus observanda sunt.

Nemini etiam negatur instrumenta, & eorum usum apud me videre, si modò à piis hominibus, & etiam debito modo, & occasione commoda postuletur. Non enim est, cur quis sibi persuadeat, me paratum sedere, & expectare, donec aliquis otiosus me compellet, & mihi molestiam exhibeat. Piis hominibus lubens præstabo, quæ potero; non tamen mea
pro-

propria negotia negligendo peregrinis inserviam. Sæpius hoc feci , & meo proprio damno non nimis credulus esse didici. Sæpius ad me venerunt , quibus de suâ necessitate conquerentibus meam opem & auxilium pollicitus sum. Voti compotes facti eam gratiam mihi retulerunt , quam omnes ingrati referre solent. Plurimos in vitâ meâ beneficiis affeci ; sed parum fidei in plærisque deprehendi , id quod ab impiorum & falsorum ejusmodi hominum conversatione me penitus avocet & deterret. Ideò firmiter statui maximam meorum secretorum , & arcanorum partem , præcipuè in Medicinalibus typis exscribendam dare , & divulgare. Si mihi Deus vitam prorogaverit , singulis semestribus aliquid boni in lucem prodam , idque tamdiu , quamdiu , Deo volente , pennam manibus tenere , & eâ ad scribendum uti poterò.

F I N I S.



